

www.e-rara.ch

**Satura dissertationum, orationum, epistolarum & observationum
theologico-historico philologicarum**

Ott, Johann Baptist

Tiguri, a. 1741-1743

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 7.153

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-87794>

Pars prima.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SATURA
DISSERTATIONUM,
ORATIONUM,
EPISTOLARUM,
&
OBSERVATIONUM
THEOLOGICO - HISTORICO
PHILOLOGICARUM.



PARS PRIMA.

TIGURI
Apud HEIDEGGERUM & Socios A. MDCCXLI

Conspectus Partis Primæ.

- I. JOH. BAPTISTÆ OTTII Oratio de mora finis & de fine moræ, cui subjungitur Venerabilis hujus Viri Vita ab IPSOMET delineata. pag. 1.
- II. JOH. JACOBI REUTLINGERI Oratio de Primogenito in Orbem habitabilem iterum introducto, & hinc vel Angelis adornando, ad Hebr. 1.6. pag. 47.
- III. JOANNIS MULLERI Dissertatio de erroribus historicis circa passionem Christi, cui subjecta est Celeberrimi Auctoris Vita, adornata a JOH. ROD. RHANIO. V. D. M. pag. 86.



LECTORI CANDIDO

S. P. D.
EDITORES.

Animus non est de occasione aut ratione instituti hujus multa præfari. Paucis, & vel verbulo, dixisse sufficiat, Nos, quos & sanguis, & studia, multis abhinc annis, suavissimo conjunxerunt vinculo, Amicorum, quibus de re literaria bene merendi idem nobiscum animus est, adjutos opera, iniisse consilium, nonnulla quæ in nostris aliorumve scriniis asservantur Virorum Eruditorum hætenus inedita Scripta in lucem proferendi, atq; cum Literato Orbe communicandi. Cum sederet hoc animo, firmiterq; sententia staret, e re nostra insuper esse duximus, Favitores & Amicos, quos tum in Helvetia, tum alibi passim colimus, ad Institutum hocce promovendum & ornandum per literas invitare; quorum hætenus plures ex voto, nonnulli supra votum responderunt.

Quod si itaq; DEUS O. M. vitam nobis & vires clementer servaverit, quin justæ molis Tomum, quatuor in partes divisum, subjunctis Indicibus, quotannis simus exhibituri, non est quod, Candide Lector, dubites. Hanc interim
servare

servare decrevimus legem, ut eorum præcipue, quæ
sive Scripturæ, sive Antiquitati sacræ aut profanæ,
sive Historiæ denique illustrandæ conducunt, habituri
simus rationem. Quæ pietatem, quæ bonos mores,
quæ aliorum lædunt famam, quæ ut conserventur,
aut posteritati consecrentur, minime digna vide-
buntur, procul hinc esse jubebimus.

Unum restat monendum. Solent qui hujus ge-
neris libros emittunt in lucem, rerum novarum
ad literas spectantium enarrationem subjicere. Nos
autem, quum hac ex parte desiderii eorum, qui
harum rerum cupidi sunt, abunde satisfaciat
TEMPE HELVETICA, quæ sub cujusque se-
ctionis finem librorum in Helvetia universa pro-
deuntium syllabum exhibet, huic labori, ne actum
videremur agere, in præsentia supersedere consti-
tuimus, ita tamen ut aliquando, ubi res oppor-
tunior videbitur, hac etiam in re Lectori operam
nostram simus probaturi. Hæc sunt quæ Te, Lector
Benevole, scire volumus. Vale, atque pro tuo in
Literas studio ex penu tua Saturam nostram inge-
nii tui fructibus orna & auge. Dabamus Tiguri
ipsis Calendis Junii anni MDCCXLI.

JOH.



JOH. BAPTISTÆ OTTII

Templi Cathedralis Archi-Diac. Dignissimi,
Canonici Venerandi

ORATIO

DE

MORA FINIS

& de

FINE MORÆ.

*Recitata Feriis Felicis & Regule.
A. MDCCXXXIV.*

Cui subjuncta est Venerabilis Viri Vita, ab
ipsomet adornata. *

Appropinquante atque instante primo D.
N. J. Christi adventu, & imminente il-
lustri altero, ingens est & pene incre-
dibilis temporum rerum atque perso-
narum harmonia. Quæ priorem Domini ad-
ventum

* Orationem hanc limatissimam, & pietate plenam
humanitati Venerabilis Auctoris debemus. Ro-
gabamus Virum Σεβασμιώτατον ut præcipua
quoque nobis Vitæ suæ momenta referre non
de-

ventum præcesserunt omina, præcedunt & posteriorem : quæ priori vel fidem fecerunt, vel dubia moverunt, fidem perinde faciunt, aut dubia movent adventu alteri.

Hæc sola parallela, si vobis, Auditores, ante oculos posuero, justos supergrediar orationis cancellos : Unum narrabo, qui proposito nostro viam patefaciet, tam longe a se diffusorum temporum parallelismum, multorum sæculorum moram, quam tamen inter Prophetarum V. T. ultimos Habacucus. c. 11: 3. *festinationem* appellare non erubuit, dicens, *si distulerit visio expecta eam, certissime enim veniet, neque moram nesciet.*

Habuit longissima illa mora terrarum orbem, Judæam cum primis, adeo in suspensio, ut moræ tædio multo major hominum pars promissiones Dei per sanctos vates calcaret pedibus, adventum scoptice rideret & dormientes tantum non omnes sic somniabant : *Tardat Dominus venire, quod idem est, ac si dixissent, non veniet.* Hinc cœpti servi & ancillæ percuti, hinc cœptum edere, bibere, inebriari.

Hinc ex altera ipsorum fidelium atque oppressorum parte cœptum vacillare, vociferari, *Quamdiu Domine deficiet mens mea spe salutis.*
Sed

dedignaretur, quæ cum publico communicaremus. Annuit votis atque benevole delineationem Vitæ ab ipsomet duo ante Iustra adornatam tradidit, quam Benev. Lector huic orationi subjunctam non sine voluptate tractabit.
J. C. H.


Sed inter hæc illorum ludibria, aliorum suspiria, venit hora illa expectabilis, optata illa dies, venit Dominus ad sanctum templum suum, venit spes Judæorum, venit desiderium Gentium, venit nec distulit legatus Fœderis.

Habuerit adventus iste Moram, habuerit Mora illa Finem, Finem autem eum ipsum, quem æternum Dei propositum destinaverat, quem verissimi omnesque Dei vates prædixerant, qui Atheorum impietati os obstruxerat, qui jacentes animasque suas præ mœrore effundentes crexerat.

Vix alius est, Auditores, parallelismus quam hic majore indagine dignus. Vix quicquam quod nostri sæculi illusores magis compescat, vix quicquam quod prostratas bonorum mentes magis consoletur, quam ea cogitatio, quod Mora finis, & Finis Moræ, quæ ad alterum Domini adventum pertinent, ad amissim istis temporibus respondeant, quæ priorem Domini adventum antecesserunt, ut qui de illo convictus sit, illi de hoc nullus dubitationi locus relinquatur.

Hæc me, Patres Conscripti, moverunt, imo extimularunt, ut de Mora Finis, quæ tot piorum animas tam diu exercet, & de Fine Moræ quem tot impii sugillant, in meam primum, deinde etiam in vestram consolationem senex aliquid dicturus sim.

Judicatis arbitror, his meis annis, quibus non eadem quæ olim est ætas, non mens, his meis moribus atque motibus, argumentum, nec Martyrum nostrorum memoria, quorum



natalitia agimus, indignum. Arrigite aures, & benevolam attentionis moram mihi commodate. Tu vero Domine, Domine Deus, misericors, beneficus, leni animo, immensæ bonitatis ac veritatis & fidei, tenax bonitatis in mille, condonans iniquitatem, transgressionem & peccatum, at impunita minime dimittens, visitans iniquitatem patrum in filiis & nepotibus. Tu Domine fac, ita de Mora & de Fine eloquar, ut incontaminati a Te in pace reperiamur, Dominique nostri longanimitatem salutem reputeemus.

MORA FINIS, de qua primum mihi dicendum est, quæstionem habet, cur Deus Optimus Maximus tam iudicium suum in sceleratorum turmam, quam compensationem & coronas in fidelium gregem tam diu differat, ut in oculis mortalium moræ istius nullus appareat nec modus nec finis.

Mora Finis, quam Christiana priorum sæculorum ecclesia a Deo, ut mox audiemus, oravit & exoravit, aliquem priorum & Apostolicorum quidem temporum errorem præsupponit, non eum quidem fundamentalem, ejusmodi tamen, ut qui eo imbutus esset, multis aliis se implicaret. Apostoli scilicet Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi credebant finem atque excidium Hierosolymorum cum fine atque consummatione sæculi ita esse conjunctum, ut nulla inter utrumque, aut per exigua mora futura sit. In hoc errore ut versarentur male intellecta ultimorum veteris Testamenti, Malachiæ cum primis, prophetarum vaticinia illos induxisse videntur. Sunt enim illa ita constituta ut primo aspectu & non bene di-

distincta & Judæorum, & peremptorium illud totius generis humani iudicium combinare videantur. *Ecce venit dies ardens ut clibanus, tum erunt omnes arrogantes & omnis qui impietatem patrat, stipula, inflammabitque eos ventura dies, dicit Dominus exercituum, adeo ut non relinquatur eis neque radix neque ramus.* Hunc & similia ejusmodi loca de eo adventu Domini explicuere qui inter Judæos Christi ætate erant optimi, ut omnino extremi iudicii diem, cum die excidii Judaicæ gentis simul imminere crederent. Hunc errorem Apostolos errasse ex eo palam est, quod quum extrema in his terris Domino degente septimana, & sermonem de structura templi facturo, accesserint discipuli seorsim dicentes. *Matth. 24. Dic nobis, quando hæc evenient, & quod signum adventus tui & consummationis seculi?* Ecce combinationem consummationis seculi cum consummatione politiæ Judaicæ.

Isthæc prisci & primi post Judæorum res everfas Christiani cum & timerent, & tamen conferre cum iis rebus non possent, quas ex sacris voluminibus didicerunt, quæ & quanta vaticinia implenda essent, quæ nationes non momento sed per intervalla seculorum ab extremo oriente usque ad extremum occidentem, essent ad Christum convertendæ, quot septenarii ecclesiarum, Angelorum, Phialarum complendi, quibus consolationibus, instructionibus, antidotis Christianorum animi essent confirmandi, quanta & quantorum temporum futura sit apostasia, hæc, inquam, omnia quando cum repentino adventu Domini collatis rationibus consistere posse non cernerent, animis in divorsum actis, omni prece & sup-

plicatione a Deo *moram* orarunt, & exorarunt. Uti alii tempore calamitatis Judaicæ rogarunt, ut decurtarentur dies illi propter electos, ita hi, eodem ducti principio, orarunt Deum ut prolongarentur dies hi, perinde propter electos, ne ceteretur mora, *longanimis enim est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad penitentiam recipere.*

Audite in hanc rem Scriptorem florentissimum, inter Latinos ecclesiæ Patres facile primum, *Tertullianum*, cujus lectione nullum olim diem intermittebat Divus *Cyprianus*, *Tertullianum* audite, Apostolicis temporibus valde vicinum CLX. à Christo passio annis, qui cum Christianorum purissimam fidem & sanctissimam conversationem apologetico adversus gentes tuendam susciperet, Capite XXXIX. ubi de disciplina Christianorum agit, factionem suam ita depingit, „*Coimus in cœtum & aggregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hac vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* O imitandas nobis Christianis modernis Christianorum priscorum quotiescunque de rebus ultimis cogitamus preces, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis!

Quid enim magis metuebat pusillus Christianorum grex, quam imminere, & uno quasi momento inopinato effundendas esse omnes excandescentiæ Dei phialas, quæ ne imparatos offenderent orbis terrarum incolas, enixissime orabant, differret illum suum adventum, ne succideret Dominus vineam, esset spatium iustum

stum implendorum omnium totius Apocalypseos prædictionum, spatium justum convertendis aut convincendis obstinatissimis peccatoribus, spatium justum redeundi in sese, revertendi & peccata sua cum filio prodigo illo confitendi resipiscentibus concederet, quæ omnia tam brevi temporis intervallo impleri quomodo possent non perspiciebant, itaque orabant pro *mora finis*.

In illa ardentissima Christianorum oratione veritas illius axiomatis apparet. Quod omnis prophetia antequam compleatur merum sit ænigma. Multa porro sunt, quæ piorum animos movere poterant, ut has ad Deum preces funderent, non tam pro fine rerum omnium accelerando, quam pro *mora finis* obtinenda, neque etiam illud adversabatur orationi quotidianæ petitionis in Dominica oratione secundæ, *Veniat regnum tuum*.


Quum enim ita Domino dictante oramus, non oramus tantum pro illo ultimo adventus Domini momento sed & pro rebus illis omnibus, quæ illustrem illius adventum antecedere juxta Dei oracula debent, pro non impedito verbi Dei cursu, pro gratia Spiritus Sancti quæ verbum illud in cordibus convertendorum efficax reddat, pro conversione omnium gentium, quam tot seculorum decursus hactenus postulavit, nec adhuc ad omnes pervagata sit. Bone Deus! quis nostrum narrabit, quot adhuc secula reliquis superstitionibus ad Christum convertendis requirantur? Quæ terræ adhuc incognitæ? Quæ colonix adhuc deducendæ? Quæ linguæ adhuc addiscendæ?

in quas dialectos sacri sermones Domini adhuc convertendi, uti in eminentissimo gradu jubilare liceat, *laudate Dominum omnes gentes, concelebrate eum omnes populi? Atqui nunc, ita cum Paulo tot post ipsum seculis dicimus, atqui nunc nondum videmus, omnia ipsi subiecta esse. Quæ loca Judæis in omnes terrarum angulos dispersis, ut ad Dominum Deum suum & ad Davidem Regem suum revertantur, & paveant ad Dominum & bonitatem ejus, novissimis diebus pervestiganda. Quot synagogæ in ordinem formandæ? Quæ velamina non tam oculis quam cordibus recitatorum obducta, avellenda? Quot Icono Latrarum confringendæ imagines? Quæ pellenda animis vitia? Quæ animis virtutum, sanctitatis, pietatis, Dei timoris, semina instillanda? Quæ Antichristianæ bestię succidenda capita? Quid dicam de mutationibus gentium quotidianis, de terris novis inventis, de habitatoribus illuc mittendis? Quantam hæc omnia *moram* petierunt, non tantum præteritis, sed & postulant in præsentibus & futuris? *Affiduus generis humani discursus est*, ait Seneca, *quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur.* Nova urbium fundamenta jaciuntur. Nova Gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, aut in accessionem validioris conversis, oriuntur. Omnes autem istæ populorum transpositiones, quid aliud quam publica sunt exilia? Quid aliud quam longissimæ *mora finis*? Annon hæc omnia, quæ dicta loquacem delassare queant Fabium, annon ea omnia ostendunt, dum serio oramus, *veniat regnum tuum*, nos simul orare pro *mora finis*, ut videlicet hæc ipsa interposita mora omnia e medio tollantur adventus cœlestis regni,*

regni & gratiæ & gloriæ obstacula? Habuerunt Christianorum primi, habent Christianorum fere ultimi, cur pro *mora finis* orent, quum se ipsos aspiciunt, quum oculos convertunt ad Regem Regum & ad Dominum Dominantium, quum cogitant versantes adhuc in tenebris gentes, quum Christianum, quum Judaicum, quum Muhamedanum, quum omnium Judæorum, quum totum terrarum orbem respiciunt.

Quis nostrum non obstupescat, Auditores, cogitans, quid *mora illa finis* a *Tertulliani ævo* ad nostra usque tempora boni ecclesiæ attulerit, quot mala depulerit, quos in viam reduxerit, quantas metamorphoses, quas catastrophas in mundum introduxerit. Ecquomodo enim, nisi *mora fini* data fuisset, tam ingentia Dei opera ad nos usque deferri potuissent? Qui locus datus fuisset mutuæ exhortationi? *Quæ* audivimus, *quæque* cognovimus, & *quæ* patres nostri narraverunt nobis, neque nos celabimus ea filiis eorum, etatibus posteris narrabimus laudes Domini, robur ejus, stupendaque opera illius, quæ gessit. Constituit enim contestatione quadam in Jacob, & legem tulit in Israël, qua præcepit patribus nostris, ut ea nota facerent filiis suis ut cognoscat *etas postera*, filii scilicet qui nati sunt, quum adoleverint, narrent eadem filiis suis.

Hæc quum ad natos natorum, & qui nascuntur ab illis, derivanda sint, num sine *mora finis* aut hætenus natis tradi, aut nascendis significari possunt? Hanc *moram* postulat ipse *finis* mundi, quem sapientissimus æque ac summus rerum arbiter in sua potestate ita sepositum



fixit, ut nulli hominum divinationi locus sit. Hanc postulat omnium rerum humanarum vicissitudo, diem excipit nox, æstatem hyems, nata denascentur oportet, aucta evanescent, homo hominem producat casibus innumeris & occasui obnoxium. In quibus ita & tamdiu ludit divina potentia, uti nullus non cœtus continuo sit instabilis. Universum si intuemur, quot & quam diversa Imperiorum fata, oriuntur nova, vix orta videmus concuti, consenescere, interire. Quæ dum consideramus, tot in orbe mutationes, earumque causæ, annon sapientissimam a Deo ita constitutam *Moram finis* indicant ?

Scio equidem quæ spinosæ non paucorum sed sinistrae & damnandæ cogitationes sint, qui hanc *finis Moram* æternitatem mundi explicent, *moramque sine* carituram existiment; sed videant isti seculi nostri Luciani, annon *dum sapientes esse volunt, stulti facti sint.* *Mora* enim non æternitatem ponit, sed longanimitatem indicat, & quod probis sæpe diu male sit, improbis diu bene, ad fidem & obedientiam hominum explorandam non utilissimum modo, sed & plane necessarium est. Nam si semper & absque mora, hominum delicta plesterentur, si verbi gratia patibula, cruces, equulei, passim erecta essent, quibus Homines, statim ac scelera quædam admississent torti affigerentur, vel si fulmen nulla mora, atque in omnium conspectu, in eorum caput decideret, si contra thesauri, dignitates, deliciae, nunquam non præsto essent, quibus recte facta suam illico acciperent mercedem, quis non videt, vix ullam amplius explorationem futuram, homines

volentes nolentes in officiis perstituros, adeoque ipsorum obedientiam exigui admodum pretii fore? At vero iustitia numinis sub velo moræ quasi occultata, maximus datur explorationi locus, & probi ab improbis, veræ virtutes a virtutibus fictis, facili negotio secerantur. Itaque hæc agendi ratio Dei sapientia dignissima est. Si hominum insuper delictis, pœna statim parata esset, quis non videt, quanta perniciēs, quanta incommoda, in humanam societatem redundatura essent? Cum enim nemo sit culpæ omnis expers, si culpæ statim punirentur, quis stare posset? Orbis terrarum mera esset vastitas, neque citius ad discretionis ætatem pervenirent homines, quam divina abriperentur Nemese, siquidem nemo est qui vel in ipsa statim pueritia non peccet. Quod si sint qui dicant, se rem non ita intelligere, ut vel minima delicta statim puniantur, sed hoc unum desiderare, ut scelerati & impœnitentes pœnam non effugerent. Sed quaero, an vellent statim sceleratis pœnam irrogari, an vero aliqua interposita mora? Si aliqua interposita mora, id ipsum est quod Deus facit, nam improborum felicitas nihil aliud est quam dilatio supplicii. Si vero intelligant, statim puniendos esse qui magna scelera admiserint, utique multi punirentur, qui pœnitentiam postmodum acturi fuissent, neque dici possent impœnitentes, quibus tempus ad pœnitendum datum non fuisset.

Itaque patet, quam sapiens, quam iusta, quam sancta sit illa Dei Ter Optimi Maximi tardatio, quæ multos hominum latet, quos latere minime deberet, juxta divi Petri monitum.



tum. Unum autem hoc ne lateat vos, dilecti, quod unus dies apud Dominum perinde est, ut mille anni, & mille anni, ut dies unus. Haud tardat Dominus qui promisit, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant, verum longanimis est erga nos, dum non vult ullos perire sed omnes ad pœnitentiam recipere. Licet itaque omni oratione orare atque contendere pro mora finis, ut tamen nullo modo lædatur illa orationis Dominicæ petitio, qua dicimus adveniat Regnum tuum.


Quantacunque autem sit mora finis, habet tamen certissime, habet inevitabilem Mora finem, qui finis alteram jam Orationis nostræ conficit partem. Hic enim, si in mille aliis, hic primum locum occupat, quotidianæ experientiæ dictum, quod differtur non aufertur. Mora finis effecit, ut stulti haberentur in mundo Apostoli, Finis autem Moræ ostendit stultos fuisse qui tot retro sæculis alios pro stultis habuere. Pœnitentia tacti, præ angustia spiritus gementes, sic apud se dicent, Hic est ille, quem risui olim habuimus, proverbioque contumelioso, & quæ apud Scriptorem libri Sapientiæ porro sequuntur. In mora finis patientia, in fine moræ victoria sanctorum est sita. Sta ergo & siste porro gradum adhuc parumpèr, Auditor, & quid per Finem Moræ intelligamus, quæ illius certitudo sit, & quid inde vel sperandum vel pertimescendum, vel faciendum vel omittendum sit, percipe.

Finem habet omnis Mora, sive in illa rei bonæ expectatio, vel formidatio malæ sit. Hominem accipe, aspice mortalium genus, quod mortale, Cicero, Seneca, Ethnicorum sapientes perinde ac insipientes, ideo vocarunt, quia
mora

mora illorum habet finem. Quis enim vir est, qui vivet & non moriatur? Quis eripiet vitam suam a violentia sepulcri? Dies annorum nostrorum, quibus vivimus, sunt septuaginta, aut ad summum octoginta, quorum præstantissimum labor est, & molestia, velociter transit, avolamus, moræ finis est. Quod si contingat quempiam inveniri, qui hunc annorum cursum supergrèdiatur & ad centum annos, vel etiam paulo supra ascenderit, annon rationibus omnibus inductis, talis omnibus monstri loco est, sibi gravis, molestus aliis, mortuus & pene sepultus inter vivos, mora paulo major, finis omnibus idem.

Quod si ab hominum mortalium genere nos flectamus ad omnia quæ extra nos sunt, quantacunque sit uniuscujusque rei duratio finem habet & ad interitum vergit. Intuere quatuor illa ingentia robore & longo seculorum decursu imperia. Quid mora finis illa juvit, finis moræ consumsit illa, & ultimum ex iis consumitur quotidie, planeque locus datur prophetiæ Danielis, qui finem moræ simulacri illius nobis vivis coloribus depingit, Lapis enim revulsus contudit imaginis illius pedes ferreos atque fictiles, tunc in minutissimas particulas abierunt simul ferrum, lutum, æs, argentum & aurum, & fuerunt ceu pulvis arearum in æstate, abstulitque illa ventus, ut ne locus quidem illorum inventus sit. Habeamus aliquid æris duri, splendentis argenti, aurique solidi, quæ ad nos delata sunt ex Græcorum Romanorumque Monarchia, ex Babylonica certe & Persica, Gazæ solum & vacuum Persicum nomen relictum est, ne tantillum quidem vel oculis usurpavimus, vel manibus palpa-

vimus,



vimus, vel ex ullo Antiquariorum legimus, habuerunt *moram*, habuerunt *finem*.

Nolo jam delabi in inexhaustum rerum reliquarum totius mundi Oceanum. Finem enim omnium ostensuro finis mihi omnino nullus esset. Id solum & præcipue agendum nobis esse arbitror, ut cognoscatis per *finem moræ* finem mundi omniumque quæ in mundo sunt rerum, intelligendum esse, cum adventu illustri supremi Judicis, cum æterno illo bonorum præmio & nunquam cessatura malorum poena; Hic, hic *finem* habebit omnis *mora*.

Hic certo statuendum, fore aliquando, uti *Tertulliani* omniumque Christianorum cessatura sit pro *mora finis* oratio, & in cantus hilares propter *finem moræ* convertenda. In ore duorum aut trium Testium omnem veritatem consistere, & Veteres Tabulæ, & Novum instrumentum & Gentium consensus docent. In hoc autem articulo, tres, quatuor, & cum his innumeros, omnesque veraces habemus testes. Ascende, dum pedibus non potes, animo & cogitationibus ad mundum illum ante diluvianum, auribus percipe post tot seculorum moram, quod ante tot secula sui temporis homines audire noluerunt. Primus enim de his vaticinatus est septimus ab Adamo Enoch dicens, *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, ut faciat iudicium adversus omnes & redarguat omnes ex eis, qui sunt impii & de factis omnibus quæ impie patrarunt, deque omnibus duris, quæ locuti sunt adversus eum peccatores impii*. Dedit huic prophetiæ sigillum *finis* tristissimus *mora* Dei longissimæ, illapsum subito diluvium, quod universos

versos sustulit. Aspice, ut saltum per multa
 secula faciam, sapientissimi juxta ac ditissimi
 & potentissimi Judæorum Regis Salomonis fa-
 tum, confessionem audi, monito obtempera.
Finis universi negotii hic auditus est: Deum timeto,
& precepta illius servato, nam in hoc consistit om-
nium hominum perfectio. Deus enim in judicium ad-
ducet omne opus cum omni occulta re, sive quid bo-
num, sive malum fuerit. Aspice oculis, audi
auribus ipsum, qui finem omnis moræ faciet, &
judex omnium erit, Jesum, quoties de illo
suo adventu & de fine moræ ipse sermonem fe-
cit, etiam coram judice judicandus, Dico vobis
videbitis filium hominis sedentem a dextera potentia &
venientem in nubibus cæli. Quid omnes illius Apo-
stoliquid omnes Christiani? Nam si pro mora finis,
tot suspiriis oraverunt, utique moram finem habitu-
ram esse crediderunt, sed finem non annihila-
tionis & omnimodæ consumptionis, sed moræ
illius & longanimitatis Dei, ubi non nisi proe-
miis bonorum & pœnis malorum locus erit,
quem beatus ille gentium Apostolus PAULUS
intendit, gravissime interrogans divitias benig-
nitatis Domini, ac tolerantia, longanimitatisque
contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœniten-
tiam te invitat. Sed juxta duritiam Tuam & cor
penitere nescium, colligis Tibi ipsi iram, in diem iræ,
quo patefit justum judicium Dei, qui redditurus est
unicuique juxta opera sua. Dum mora est, non
redditur unicuique secundum opera sua, quum
finis moræ erit, tum reddetur unicuique secun-
dum opera sua, his quidem, qui perseverantes in
benefaciendo gloriam & honorem, & immortalitatem
querunt, vitam aternam: His vero qui sunt conten-
tiosi, & qui veritati quidem non obtemperant, sed
 ob

obtemperant injustitia, ventura est indignatio: ira, afflictio & anxietas adversus omnem animam hominis perpetrantis malum, Judæi primum, simul & Græci. Finem illum in compensatione bonorum æterna, & non cessatura malorum poena innuit.

Quam tacente omni humano genere, sua cuique dicat conscientia, quam poscit supremi Numinis justitia, quam sanctitas desiderat, quam clementia suadet, quam promissiones confirmant, ita ut qui æternitatem præmiorum poenarumque negent, Deum ejusque summas omnes virtutes atque perfectiones negent, neque argumenta illa cordis intima, quibus divinum esse aliquod Numen, quod huic rerum universitati præsideat, intelligant.

Accedite nunc ridendi irrisores & illudendi illusores atque percipite. Ad unumquemque vestrum, qui in mora finis liberiores atque securi hæretis & de fine mora cogitare non vultis, ad unumquemque vestrum pertinet ista fulminatrix Dei vox. *Hæc tu fecisti, hæc tu scelerapatrare non destitisti, quumque ego dissimulo, fingis me plane tui similem esse, disceptabo itaque tecum, & ordine proponam ante oculos tuos.*

Accedite, quos mora oppressionum, mora persecutionum, mora tentationum premit & vexat longior. Accedite huc omnes Martyres, omnes confessores, omnes qui tam diu mundi fuistis & estis opprobrium. Omnes, quibus exclamandum est, *quam diu Domine? usque quo Domine, qui es sanctus & verax, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in Terra? Audite moram non gravem & suavissimas illius causas, & optatissimum illius finem,*

Data

Data sunt illis singulis stola alba, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc pusillum temporis, donec complerentur conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi essent sicut & illi.

Si in humanis & prætereuntibus magnum, in divinis certè & quæ ad argumentum nostrum pertinent, maximum momentum habet illud, differ, dicam ego, suffer, habent parvæ commoda magna moræ, qui enim sustinuerit usque ad finem salvabitur, hic coronam vitæ nanciscetur.

Accedite omnes quos munere aliquo atque honore publico Rex Regum dignatus est, istamque Dei moram, patientiam, longanimitatem in exemplum vobis proponite, hæc omnium consultationum vestrarum, judiciorum, laborum, tædiorum etiam dulce aliquod condimentum erit. Nemo vestrum sit, qui moram illam finis Pharaonico illudat scommate, ut dicat, quis est Dominus? Imo est supremus, qui vult, ut omnem istam quam vobis concedit moram impendatis in solidam justitiæ administrationem, in innocentium tuitionem, in vindicationem alios inique opprimentium, in Dei gloriam, in ecclesiæ puram conservationem, in scholarum ornamentum, in urbis agrique pacem, in virtutum decus & augmentum, in vitiorum omnium ignominiam, & dedecus, atque ruinam.

Vos Patres Conscripti, in id incubuistis, incumbitis, & Deo dante ad finem incumbetis, ut tempus moramque vestram Jobi exercitiis detineatis, *Auris, ait, quæ audiverat, beatum prædicabat me, oculus qui viderat testimonium mihi*

B

red-

reddebat, quia humilem clamantem assereram, & orphanum cui nemo ferebat opem, qui quasi perierat laude me prosequeretur, & cor vidua commovebam ad jubulum, induerem iustitiam, & iudicium meum vestiebat me ut pallium, & tiara. Estote in hac mora oculus cæco & vice pedum claudo, estote Patres pauperum & causas forenses, quas ignoratis, indagate ipsi, iniqui hominis molares conterite, atque prædam ex ipsius rictu extrahite. Oculi vestri intenti sint ad eos, qui in terra veritati student, & ita finis æternæ gloriæ coronabit sanctam moram vestri in terris iudicii.


Adeste servi Dei, Pastores gregis ovium, Episcopi & Inspectores, Ministri Christi, dispensatores mysteriorum Dei, Doctores, Professores, morum studiorumque Formatores, adeste mecum. O ad quod officium illa *Mora Finis* & hanc insequens *Finis mora* nos invitet & urgeat percipite. Itane est, oraverint beati illi Ecclesiæ primitivæ Patres pro *mora finis*, quid nobis incumbat eo magis cernimus, ex nostro ore nunquam cesset ista oratio, nec ex corde votum. Postulat illud a nobis temporum quæ vivimus iniquitas, postulat proborum oppressio, postulat ira Dei, quæ si uaquam, nunc certe manifestatur e coelis in omnem impietatem & iniquitatem hominum veritatem in iniquitate detinentium. Postulat muneris quod nobis concreditum est impletio, ut simul pro *mora* oremus, ne imparati & inopinato cum servo illo moram necente obruamur, & in *fine mora* Servatoris verba nostra verba facere possimus, Ego te glorificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi, moram concessam pro talenti concessi

cessi ratione impendi : O beatum moræ finem,
*nunc glorifica me tu Pater ea gloria, qua glorificasti
 filium, & filius se glorificaturum pollicitus est
 omnes fideles ipsius famulos.*

Adeste quotquot Christiani estis omnes &
 moram quæcunque adhuc futura est recte in-
 terpretamini, ne differente Deo pœnas respic-
 entiam differatis. Audistis, multa restare quæ
 non parvam moram postulent. Quam multa
 animalia hoc primum cognovimus sæculo ?
 Multa venientis ævi populus incognita nobis
 sciet. Multa sæculis futuris, cum memoria
 nostri exoleverit, reservantur. Tarde omnia
 magna proveniunt, ne cesset labor. Tarde
 athletas coronat coelestis brabeuta, ut non in-
 terrupta certantis probetur industria. Tarde ad
 vindictam procedit Nemesis, ut tarditatem
 gravitate compenset. Tarde sed certe, sed op-
 portune, e fovea Dominus pauperem & pere-
 grinum eripit, ut major sit ipsius gloria. No-
 strum est festinando expectare gloriosum illum
 omnis *moræ finem*, & cum sponsa orare, *veni
 cito Domine Jesu.*

Rumpe moras, dissolve nodos, appare po-
 tenter,
 Adventuque tuo tandem nos redde beatos!

D I X I.



JOH. BAPTISTÆ OTTII

Archi-Diaconi & Canonici Tigurini
Venerabilis,

VITÆ HISTORIA,

ab ipsomet

Badæ Helvetiorum in otio

per usum thermarum mense

Junio MDCCXXXII. adum-
brata.

JOH. BAPTISTA OTTIUS natus est ad
feriam Martini Anno post millesimum
sexcentesimum sexagesimo primo, paren-
te JOHANNE HENRICO OTTIO Pro-
fessore apud Tigurinos Eloquentiæ & Histo-
riarum, matre Barbara Brunnera JOH. RO-
DOLPHI BRUNNERI Professoris ibidem in
Collegio Humanitatis Logices, filia. Nascen-
di forma, statura adeo exilis, ut vix quisquam
crederet aut speraret fore, ut corpusculum illud
in vivis manere, aut ad maturam ætatem per-
venire possët, quum aliquot ante me eidem
patri filii nati fuissent vegeti, justique robo-
ris, qui tamen omnes primis infantilibus annis
præmatura morte abrepti sunt.

Ad has primas primæ ætatis imbecillitates
accessere graves morbi, hecticæ species, quam

Ti-


Tigurino nomine *der Eticken* appellare solemus. Pia parentum preces, sollicita cura, favente divina gratia & benedictione effecerunt, ut ex illis infirmitatibus eluctarer atque Anno 1667. primum in scholam trivalem deducerer, quo etiam cum piarum precum copia Catechismum Tigurinum memoriam mandavi, paulatim pro virium & annorum incremento ad Latina asurgens, puerilibus annis aliquoties pleuritidis morbo in vitæ discrimen veniens, maternæ institutioni plurimum minoribus his annis debens, donec cursum Carolinarum Scholarum, Collegii Humanitatis & Auditorii publici decade sæculi præteriti octava conficiens, circa Paschale tempus Anni 1681. S. S. Ministerio admotus sum. Multa omnino toto illo temporis defluxu debeo fidelissimis Professoribus Wolphiis, Hottingeris, Hofmeisteris, Lavateris, Suiceris, Heideggeris, Mulleris, Ottio patruo, pluribus aliis, quorum publicæ privatæque curæ commissus sum. Sed omnium favores atque summum in me studium patris superavit amor, indefessus labor atque sollicitudo & publica & domestica in Latinis, in Græcis, in Hebraicis, in Philologicis, in Historicis cum primis in ecclesiastica. Eo enim tempore, anno scilicet 1676. publicavit primum Volumen Historiæ Anti-Baronianæ, tria post Christum natum secula continentem, ubi quasi in transitu moneo, reliqua sæcula ab eodem dum viveret absoluta lucem nunquam conspexisse, nunc inter manus filii mei Henrici in Angliam translata versari, servari & in aliquem splendorem post dimidii decursum sæculi innovari.

Dicto Anno .1681. postquam aliquot con-
 cionibus quasi Ministerii mei primitiis me exer-
 cui, parentum permisso atque consilio ad pe-
 regrinationem literariam me contuli, ubi Gal-
 licæ linguæ cognitione mihi opus erat, ut faci-
 lius reliquis locis hominibusque uti possem.
 Cum autem magnum illi fuisset Neocomi
 Helvetiorum commercium, alebat enim ex
 illa urbe multos ex præcipuis familiis commen-
 sales, Montmollinos, Braunios, Ostervvaldios,
 effectum est, ut ex prænobili Brauniorum fa-
 milia nanciscerer mutuam præstantissimum Sa-
 muelem Braunium, apud cujus D. Matrem vi-
 duam, matronam florentissimam octo mensi-
 bus degi amplissimorum ipsius filiorum favore
 usus, admissus etiam ad incomparabilis Poli-
 tici Montmollini & Venerabilis Ostervvaldii
 Patris ædes. Eo temporis intervallo, primis
 anni 1682. mensibus febris correptus sum, quæ
 tamen divina benignitate & medici cura mox
 pulsa fuit.

Quum autem laboribus senioque non pa-
 rum infirmatus pater apud se statuisset, mihi
 peregrinationem plurium quidem locorum,
 non tamen longioris moræ concedere, ut mi-
 hi ad ipsum redire, si ita Deo O. M. placuis-
 set, daretur, Gallicæ linguæ jactis fundamen-
 tis, Genevam Neocomo proficisci jubet, quo
 mense Majo præfati anni appuli, ut aliqua il-
 lic mora facta inde Gallias, Angliam, Belgium
 contenderem & per Germaniam reditum pa-
 rarem, has enim ipse terras quinquaginta &
 pluribus antea annis lustraverat. Deo aliter
 visum, qui nobis ita proponentibus disponit
 clementissime & sapientissime uti ipsi visum est.

Ista-

Istaque quam nunc proponam periodus vitæ meæ notari plus, quam aliæ, meretur. Vix Genevam adpuli, salutatis Viris summis *Francisco Turretino & Benedicto Pifteto*, tertio à meo adventu die afferuntur a patruo meo *Joh. Rodolpho Ottio* perscriptæ literæ de gravi & periculo patris mei morbo, qui cum ipsum in præsentissimum vitæ discrimen induxerit, mihi se suasorem esse, ne ulterius in Galliam iter dirigerem, sed illic præstolarer, quid fata ferant. Facile licet conjicere, ita me ictu illo percussum fuisse, ut consilii expertus quid actu opus esset non facile cognoscerem. Ita autem apud me cogitavi, tutius & filialibus officiis congruentius esse redire domum, quod si enim contingeret reconvalescere patrem, obsequio meo conspecto faciliorem fore novi itineris susceptionem, sin minus, nostræque vitæ arbitro visum sit ipsum è numero vivorum ad se vocare, prævidebam reliquorum itinerum occasionem mihi præcisam esse. Itaque illico cum *posta* quam vocant prima domum me contuli. Dum in ipso itinere me constituto, Parens e vivis ad beatas sedes vocatus discederet, quum eum vivum amplecti non daretur, mortuum domi plurimis fuis lachrymis deosculatus sum, ita enim factum est, ut pridie ejus diei, quum sepulturæ corpus mandandum erat, redirem, funerique interesssem. Vidua mater erigenda fuerat consolatione, præsentia, auxilio, officiis, quæ mihi vinculum imposuerunt, quod lubens meritoque tuli, tantoque ad illud præstandum me magis obstrictum sensi, quanto frequentioribus ipsam sentiebam confictari adversitatibus corporis, molestissimoque, quod subinde redierat & gravius ip-



sam urgebat asthma, quo etiam biennio post mariti obitum succubuit, beate in Domino obdormiens medio anno 1684.

Ad nundinas Francofurtenses autumnales postea me contuli, emtum aliquos libros, tum pro me, tum pro Bibliotheca Tigurinorum Civica, illuc enim anno præterito in numerum Bibliothecariorum, qui apud nos plures sunt, in memoriam patris def. receptus sum. Erat etiam animus, siquid possem cum aliquo Bibliopola vel Typographo tractare de edendis ejusdem Manuscriptis in Baronium, quod tamen propositum successu caruit. Iter illud ad mensem Novembrem finitum est, quo Basileæ, Heidelbergæ, Francofurti, postea Noribergæ, Augustæ Vindelicorum, Ulmæ, Scaphusii, Viros præclaros invisi.

Domum redux unam ex sororibus meis nuptam intellexi Viro Reverendo D. Henrico Zieglero civi quidem Tigurino, sed illo tempore pastori ecclesiæ Biennensis, illic enim pluribus annis & Scholæ præfuit, & Gallica lingua concionatus est & postea Pastoris Germanici officio defunctus, dein in Pieterlon, tandem primis hujus seculi annis in ditionem Tigurinam Regenstorffum promotus. Hunc itaque novum affinem complecti cupiens, eo me contuli circa finem anni 1684. atque initium anni 1685. etiam illic quandoque concionatus. Quum persentiscerem quantum in hoc statu emolumentum capere ex quotidiana pereruditi cujuscumque viri conversatione, quippe parentibus orbis, neque in ordinaria quæpiam vocatione adhuc constitutus, non præter-


termittendam arbitratus sum occasionem optatissimam, quam liberaliter ad manus præbuit perdilectus Avunculus meus D. Joh. Jacobus Schædlerus, Pastor illo tempore Abbatissanus, concionator disertissimus & acutissimus, apud quem triennium circiter degi, scilicet usque ad tempus, quo matrimonium mihi ineundum arbitratus sum. Hæc autem commoratio mihi non jocunda tantum, sed perutilis fuit, tum frequenti concionandi exercitio, quo etiam Catechistam egi *zum Sternen*, tum Viris pro religione ex Gallia exulibus eruditissimis & clarissimis *Teisserio & Saurino, Jacobi Saurini*, postmodum Hagiensis Pastoris, patre, usus fui, qui multa præclara ex Antiquitatibus præcis numismaticis mihi detexit. Ei enim studio tum necessitatis, tum delectationis ergo tunc incubui, quod Bibliothecarii ambulatorii munere defungentem, peregrinis literatis, aliisque, quæ apud nos servarentur ostendere me oporteret, & horum cognitionem ab historia ecclesiasticæ Anti-Baronianæ, cujus multæ memoriæ a patre relictae erant, scientia non alienam esse cernerem.

Natus annos 26. cogitavi de instituendo matrimonio, quod Dei singulari Clementia & Providentia mihi pro vitæ statu & vocatione commodum felixque obtigit. In eo autem proposito silentio mihi nullo modo prætereundam esse judico admirabilem & singularem in me supremi Numinis vigilem curam. Quum enim & propter patris merita atque in me sæpius testatam benevolentiam, & propter filia virginis pietatem, reliquasque virtutes, in animum meum induxissem ducere filiam Viri Ve-

nerandi, Clarissimi, Doctissimi, D. Caspari Wolphii, S. S. Theologiæ Professoris & Canonici Tigurini, aliquo temporis exiguo spatio reliqui mihi nihil in ea cogitatione datum est, quam soliloquium & votum, deficiente omni subsidio aut subventione amici aut interioris alicujus in familia Wolphiana admissionis. Solicitus itaque quum perspicerem omnino consilio aliorum mihi maximopere opus esse, mentem meam Hospiti & Avunculo, D. Schædlerro aperui, quod sibi quum non improbaretur propositum, expectandum tantisper esse ratus, donec opportuna se offerret in eam rem colloquendi cum D. Wolphio occasio. Ea tertio aut quarto die ad autumnum anni 1697. ita se ultro obtulit. Erat tunc D. Wolphius occupatissimus, utpote Canoniorum Vinarius, ubi etiam vix adhuc ad finem perductis autumnalibus negotiis, synodalis habenda ipsi incubuerat disputatio, jam omnia adpropinquabant, erat impressa, erant notati post D. Præsidentem & Respondens & Assumens, more apud nos usitato, instabat ipsa dies Synodi, quæ solet esse pridie habendæ disputationis. In ipsa Synodo, mediaque omnium Ministrorum congregatione, alloquio suo futurus ille Socer meus D. Wolphius Avunculum Schædlerum prævenit, magna se sollicitudine angi declarans, quod percepisset eum qui crastina illius diei pro disputatione responsurus erat, Wilhelmum Simierum, subitanea febris correptum, nec ad manus esse alium qui tam velociter illius vices sustineret, rogare an ipsius domesticus & nepos Ottius illud officii in se vellet suscipere, qui ita quidem annuit, si videretur par humeris meis. Redux domum quum hæc mihi aperuisset, fabulæ

bulæ magis quam vero similiorem dictionem arbitratus, dubius hærebam quid agerem, ex una parte imbecillitatis meæ mihi probè conficius, ex altera planam sine omni alia difficultate aut labore puri & sinceri amoris viam, & apertum mihi ita stratum esse cernens, deinde etiam perpendens, crastina illius diei mihi publice loquendum, respondendumque esse de argumento, ad quod me nunquam præparavi nec ullum superesset præparationis spatium. Anni tamen, sensique apud me tunc locum habere, *omnia vincit amor*. Habita fuit disputatio, qua finita cum reliquis Actoribus ad convivium Synodale in ædes Wolphianas admissus, nullam mihi porro deesse opportunitatem cernebam, omnium eorum potiundi, quæ paucis ante diebus tam arduis molitionibus tanquam inaccessibleibus & insuperabilibus montes intuebar. Sentiebam primum ipsum Theologum, dein prudentissimam ejus matronam conjugem, cum omnibus domesticis, mihi inde faventes. Non diutius ergo expectandum esse ratus, postquam Numen cœleste ita direxisset semitam meam, per sæpe nominatum Avunculum meum ambiri curavi filiam Dorotheam, quam paucorum dierum intervallo benigne mihi circa finem anni 1687. addictam expertus sum, admirandis Dei viis laudatis. Parantur ad finem mensis Januarii anni 1688. nuptiæ, benedictio matrimonialis in Sebach, ubi multis ante annis Venerabilis Sacer primus Pastorem egit, res familiaris instituitur, post aliquot septimanarum in ædibus paternis commorationem, prima nobis conductâ habitatio fuit, mox mutata in aliis à D. Wolphio comparatis ædibus.

Illic



Illic usque ad annum 1690. degimus, quo vocatus eram ad Diaconatum Lithopolitanum, gen Stein am Rhein. Periocunda mihi accidit illa vocatio, tum ob loci amœnitatem, tum ob incolarum affabilitatem, tum etiam ob muneris ordinarii functiones. Accidit tamen, ut intra anni spatium Tigurum revocarer nil minus cogitans. Zollikon pagus est horæ intervallo Tiguro distans, cujus ecclesia filia est ecclesiæ Carolinæ, domus parochialis in urbe, unde singulis septimanis ordinarie bis, sæpe etiam extraordinarie, ad sacra facienda exeundum est. In eo pago non paucis annorum lustris pastorem egit D. Casparus Brunnerus, meus à parte matris Avunculus, vir perdoctus & vere pius, qui defunctus successorem habuit filium Felicem consobrinum meum, meritissimum ac diligentissimum, sed non longioris vitæ, quippe paucis post patris fata annis fatis functus. Anno 1691, nactus successorem D. Jacobum Orellium, pastorem in Altstetten, Virum senem & laboribus fere fractum, cum nullo emolumento majore, quod non etiam in priore cœtu habuisset, nisi id exceperis, quod habitatio in urbe erat, id quod tamen molestiam viæ semper faciendæ nullo modo compensabat. Illa ergo promotio tantum curæ & sollicitudinis optimo Viro conciliavit, ut antequam illam aggrediretur morbo correptus beate in Domino obiret. Sæpe ego iterumque in Zolliconenfi ecclesia antea pro Avunculo & Consobрино meo, si quid opus erat concionatus fueram, casualibus notus. Itaque à Venerabili Canonicorum Collegio, cujus tunc focer meus Wolphius Præpositus erat, ad cætum istum vocor, favore cumprimis Celeberrimi Hei-

Hillegeri
tar futurum
anno à Bibli
rebus, præ
rebus cum
non infreq
peribus el
dissolutio

Hanc et
functione
annis in
ordinaria
nis præf
urbana
cium

Temp
tio pl
tholice
reginon
dis me
Jacobus

utroque
theicam
que ipsi
finiui.

reiti se
seculi de
conici.

fructo
rancio D
Hillegeri

tea ejus
hi tunc
dendi.
bulator

onere l

Heideggeri nostri, qui hac ratione arbitratur futurum, ut quemadmodum antea aliquot annis à Bibliothecis essem, ita nunc in urbem redux, præter illud pastorale officium, hoc rursus cum aliis defungi possem. Solebat enim non infrequenter, si quid in eximiis ipsius operibus elaborandis opus erat, in variorum disquisitione librorum, mea opera uti.

Hanc ergo spartam adgressus, qui prius sine functione & emolumento Ministrum aliquot annis in urbe egi, nunc ibidem in sacra atque ordinaria functione Ecclesiæ isti quindecim annis præfui. Cum præsidio illius ecclesiæ suburbanæ conjunctum eo tempore fuerat officium diebus Jovis mane habendæ in summo Templo prioris concionis matutinæ, quo spatium plures Epistolas Paulinas, una cum Catholicis explicavi, commensales Pastorum peregrinorum filios alui, collegiis privatis habendis me exercui, & quum Vir Clarissimus *Joh. Jacobus Cramerus*, apud nos linguæ sanctæ in utroque Collegio Professor, Herbornam ad Cathedram Theologicam postularetur, vicariam quæ ipsi absenti reservabatur Professionem sustinui. His laboribus atque officiis finem præteriti sæculi decimi septimi & cursum primorum sæculi decimi octavi annorum bono cum Deo confeci. Donec sexto hujus sæculi anno defuncto in dignitate Archi-Diaconatus Venerando D. *Simlero*, ipsius affinis Venerandus D. *Hofmeisterus* in ejus locum evedus, dignus antea ejusdem Templi Carolini Diaconus, mihi tunc honor obrigit illi in illo officio succedendi. Quo effectum est, ut molesto deambulationis in ecclesiam filiam Zollikonensem onere liberarer. Sed vicissim turris aquaticæ
cura

cura mihi commissa, cum captivis, iis cumprimis de quorum capite agitur, agendi, quod utut molestum minus tamen grave mihi accidit, quum ab aliquot antea Antecessoribus in eo genere sæpiuscule adhibitus fuerim.

His temporibus paulatim omnia vergebant apud Helvetios ad bellum ex Toggiorum in Principem suum Abbatem S. Gallensem gravaminibus, quod scripsit ad Cantones quinque pagicos, quod à multis aliis ex omni parte enarratum, quum ad vitæ meæ rationem directe non pertineat, supersedebo recensere. Collegis tamen meis ad dextram & ad sinistram castrensi præconio in campo occupatis, mihi in urbe tanto majus incumbebat onus, tum sermonum publicorum, tum visitationis ægrorum, ita ut finito & composito bello in gravissimum dysentericæ morbum, qui eo tempore grassabatur, inciderem, nec vitæ spes superesset. Supremi tamen vitæ arbitri bonitate restitutus in Plebani functionibus pergere mihi dabatur, donec anno 1715. Venerandus D. Archidiaconus *Hofmeisterus*, cui ante decennium circiter in Diaconatu successeram, beate in Domino obdormiret, atque ita altera eidem successio ad Archidiaconatum, qui cum Canonicatu conjunctus est, deferretur. Quo quidem in munere, quæ ineffabilis Dei in me gratia est, adhuc persisto, hoc tricesimo secundo, quo id à me perscribitur anno, medium integrum in s. ministerii diversis functionibus & gradibus sæculum terens & tritus, expectansve donec Dominus vineæ me revocaturus sit.

De familia aliquid nunc dicendum, postquam


quam de cursu & ordine officiorum narra-
 Tetigi superius matrimonium a me Anno 1687.
 initum fuisse cum lectissima virgine Dorothea
 Wolphia, longe meritissimi D. *Caspari Wolphii* p.
 m. S. S. Theologiæ Professoris & Collegii Ca-
 nonicorum Præpositi filia, quæ matrem habe-
 bat matronam pietatis, omniumque mulie-
 brium virtutum decore splendidam, *Dorotheam*
Hottingeram, Magni illius *Hottingeri* & per totum
 literatum orbem celebris filiam, cujus Venera-
 bilis senex frater Theologus non minus præ-
 clarus D. *Job. Jacobus Hottingerus* octagenarius
 adhuc in vivis est, florens ecclesiæ fidus, quod,
 faxit Deus, diu nobis non occidat. Præter-
 quam quod in isto matrimonio per ipsam pie-
 tatem & dexteritatem optimæ conjugis, fami-
 liæ curas suscipientis, sapienterque moderan-
 tis, mihi liberius & sine impedimento ita li-
 cebat studiis meis & officii functionibus im-
 morari, aderant etiam exoptatæ & non contem-
 nendæ affinitatis subsidia, auxilia, solatia in
 adversis, & quæ vel ad necessitatem, vel ad
 delectationem pertinere videbantur. Placuit
 humani generis statorei, conservatori atque pro-
 pagatori nostrum hoc matrimonium etiam
 liberorum corona benedicere, ex quibus nunc
 quidem trini supersunt, de quibus priusquam
 singulis dicam in genere fertilitatem narrabo,
 cum illis quæ illam postea exceperunt mole-
 stis, magna patientia ab ipsa toleratis. Octo-
 decim liberorum mater, in quibus aliquando &
 gemelli erant, in infantia, morbis, mortibus
 se vere matrem ostendit: quindecim enim ex
 illis, diversis temporibus, morbis, convulsioni-
 bus, morbillis, primis ætatis annis absumpti sunt,
 & quod quisque facile colligere possit invictam
 & nun-

& nunquam delassatam matrem, ex tantis defatigationibus cum frequentibus morbis conflantem absumserunt, nec naturæ deficienti thermæ nec medica ars subvenire voluit, aliquot enim annos spiritibus in nervos oculorum non rectè incidentibus, tenebræ, ἀβλεφία, suffusiones visum, languor corpus occupat, dolorificis remediis cruciatum corpus non erectum sed prostratum, donec septimana passionis Dominicæ Anni 1722. apoplexia extincta spiritum suum cælesti patri reddens me viduum, liberos orphanos reliquerat.

Ex iis qui superstites manserunt liberis natu maxima est Dorothea filia, quæ A. 1692. hanc lucem primum vidit, ad annos nobiles pervecta Viro eximio & Reverendo *Andrea Pestaluzio* V. D. Ministro, per decennium fidelissimo Pastori in Schvamedingen, nunc perfacundo V. D. Præconi in Höngg juncta fuit, cum quo adhuc etiam trium liberorum mater conjunctissima christiane degit.

Alter superstes filius est *Henriens*, qui hanc lucem primum vidit 13. Februarii A. 1693. cujus singularia quædam fata filere non possum. Eum infantem, puerum, adolescentem domi educavi, mater fovit, uterque majorum qui omnes ex hoc ordine erant exemplo ad sacrum Ministerium destinavimus, ad quod absolutis trivialibus & majoribus studiis circa pascha Anni 1715. bono cum Deo admissus est. Fundamenta domi jacta gestiebam ut apud exteros confirmaret, iisque superstueret, tantoque utiliorem ecclesiæ Christi aliquando operam navare posset. Meditabamur iter, quale
ego

ego quidem triginta quatuor ante annis pro me consilio & exemplo Patris meditatus fueram, per Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam, cum moris suis ubique locis, sed quod, ut jam significatum, morte optimi Parentis ruptum abscissumque fuit. Pro Linguae Gallicae meliore atque exactiore cognitione initia Genevae filius jecit, mutuo illic Mercatoris alicujus filio Labato in ejus locum in aedes meas non ad integri anni spatium recepto, quo termino finito Excellentissimus *Johannes Alphonsus Turretinus*, paternae haeres familiaritatis ac humanitatis, nam longum a multis annis *Francisco Turretino* cum patre meo erat commercium, ipsum perquam honorifice in aedes suas recepit & nullo non amoris officiique genere prosecutum, cum primis antiquitatis numismaticae, cujus apud eum gaza inæstimabilis est, exercitiis imbutum post multos demum menses dimisit. Hinc Parisios profectus, quod An. 1716. contigit, etiam aliquot mensium mora viros doctos adiit, Bibliothecas illustres lustravit, aliaque sibi pro futuris vitae temporibus utilia comparavit. Animus tamen & cogitationes omnes in Angliam tendebant, quo etiam eodem adhuc anno delatus, latere quasi prius voluit donec sermonis Anglici gnarus admissionem ad viros præclaros habere posset. Ea enim eruditissimorum etiam Anglorum natura atque indoles est, ut peregrinis sermone Anglico non utentibus paulo difficiliore in initio esse soleant. Erat tunc in agro Britannico Pastor Helvetio-Tigurinus, multis annis Præconem in Anglia agens, *Werndlinus*, ex amicis meis. Apud eum multis mensibus degit soli studio hujus linguae additus, quo sufficienter, uti credebat, instructus



Londinum meavit, ea intentione, ut inveniret Patronum aliquem ex illustribus familiis, qui pro filiis peregrinaturis ipsum Ephorum constitueret. Admissus commendatitiis a celebri *Turrettino* aliorumque literis ad Reverendissimum atque Illustrissimum recen à Regia Majestate designatum Archi Præsulem *Guilielmum*, totius Angliæ Primatem, eo post commendationes aliorum nomine solo ipsi acceptus erat, quod ipse exterus Anglico sermone ipsum adloqueretur. Multa perhumaniter cum ipso agens, audita illius petitione, ad constitutum tempus reverti jubet, aperturus, quid in eo proposito suæ Dignitati visum sit. Quo cum comparuisset, Illustrissimus atque Reverendissimus Archi-Præsul non quidem alii inspectioni præficit, aut commendat, sed nec opinantem, nec merentem in ipsam Archi-Episcopalem Sedem Lambethum recipit, fovet, honoribus cumulat, nummophylacii prisca disponendi & augendi curam ipsi concedit, ab epistolis, a libris eum esse jubet, nec annis tantum, sed lustris apud se clementer tenet, beneficiis insuper ecclesiasticis, primum pastoratu in Bexhill, postea Canonicatu in Lichfield, tandem post aliud intervallum Canonicatu in Peterborough ornat. Post sedecim ergo annorum in ædibus Lambethanis longe opatissimam atque utilissimam commorationem, quum sedes Petroburgi figenda esset, anno præterito 1731. de ineundo matrimonio cogitans, filia lectissimæ *Catharina S. Pierre*, cujus defunctus Pater exul Gallus in Anglia Colonelli vices egregie sustinuerat, feliciter conjungitur, atque cum ipsa, novaque illa affinitate sua, familiarissime in Ecclesia sua degit, & munere suo, uti spero & a summo

ovium

ovium Pastore opto, defungens. Tantum de hoc filio.

Ad me meosque mihi redeundum est. Filius alter *Petri* nomine Anno hujus sæculi VI. hanc lucem aspexit, ad alia potius, postquam adolevisset, quam ad Ministerii studia pronus, se addixit cognitioni & arti medicæ, cujus cum quædam apud nos, Clarissimo *Scheuchzero* obstetricante, jecisset principia, An. 1725. mense Decembri Argentoratum tendit, Celeberrimorum Virorum *Salzmanni* & *Bæcleri* institutionibus usus. Anno illic transacto, secundo Rheno vectus in Belgium, illustrem *Berhavium* aliosque salutavit, atque in Angliam transfretavit, a fratre consilia & rationes percepturus, quæ etiam ipsi ab illo, utpote noto & medicos noscente, exhibita sunt. At hic aerem Anglicum sibi minus sensit salubrem, feбри enim illic obnoxius post plurium mensium moram Parisios Londino profectus, omnia alia expertus, restitutus, confirmatus, dimidium annum illic se exercuit, admissus etiam ad familiaritatem Expertissimi *Heideggeri* nostratis Medici tunc Parisiis degentis. Reversus in patriam, quum de gradu in Medicina adipiscendo solliciti essemus, Heidelbergæ selecta est, quo cum appulisset post binorum mensium spatium sub celebri *Nebelio* omnes actus gradusque feliciter peracti sunt, dissertatione de *implantatione variolarum* instituta. Ex eo tempore domum redux, apud Senem Patrem degit.

Sic vitæ meæ annis, cum meis quos modo nominavi, ad septuagesimum primum perductis, imensis a Deo beneficiis mactatus, ab innumeris periculis liberatus, salvus adhuc in hac se-

nectute pro viribus officio meo defungor, aliquando podagra, semel & bis calculi doloribus leuiuscule tamen correptus, unde tamen clementissimum Numen me semper eripuit. Ad confirmandum me non parum opis attulit animi quædam hilaritas, qua effectum est ut neque externis adversitatibus, quæ tamen non infrequentes fuerunt, succumberem, neque internis me nimium conficerem curis, mea forte contentus & sub providentiæ Divinæ alis securus, sub quo umbone tectus de præteritis quidem, quotiescunque illa meditor, gratias ago Deo meo qui mihi semper adiumento fuit: futura ita prospicio, ut ad omnes casus paratus sim, certus iis qui diligunt Deum omnia cooperari in bonum. Tu me Domine duxisti à juventute, nec me senem relinques, donec brachium tuum omni nationi annunciem, atque ex militante Ecclesia in triumphantem per gratiam & meritum Christi cum omnibus electis transferar.

Lubet addere quæ in lucem edidi, & quæ vel perfecta, vel affecta mea scripta reperiuntur. 1.) Disputationem de votis edidi, ubi etiam de Rabbiorum in eo argumento opinionibus aliquid. *Tig.* 1680. 4.

2.) Schedam vulgavi de ratione edendorum scriptorum Anti-Baronianorum defuncti Patris, quæ successu caruit, scriptis illis nunc in Anglia à Filio servatis. 8. *Tig.* 1687.

3.) *Lavaterum* de ritibus Ecclesiæ Tigurinæ denuo edidi & recensui. 8. *Tig.* 1702.

4.) Epistolam de nummis quibusdam Samaritanis, ad Exc. Virum *Hadr. Relandum*, cum
hujus

huius respo
1702 pag.

5.) Quo
minique d
diligentiss
esset, cur
municavit
Ut vero
Germani
schedis,
Reform
editis. 4

6.)
pervest
quæ in

7.
extra c
que præ
mandat
tur, cu
quo mi
vallicare
gument
rum in
debet f
Særoiq.

8.) A
nica ling
riq. 171

9.) C
vincatur
tum fuit
loco &

hujus responso. 8. *Ultraj.* 1704. Vid. *Acta Lips.* 1705. pag. 279.

5.) Quum Bibliothecarii officio defungerer, mihiq̄ de variis Bibliorum editionibus cum diligentissimo *Le Longio* Parisiensi commercium effret, cum eo aliquot centenas editiones communicavi, quas præclaro operi suo inseruerat, Ut vero saltem apud nos specimen aliquod Germanicum haberemus, publicavi paucissimis schedis, tractatum de Bibliis Germanicis ante Reformationem mox ab inventa typographia editis. 4. *Tig.* 1710.

6.) Orationem habui qua indagantur impervestigabilia novarum Dei viarum vestigia, quæ impressa est 4. *Lugd. Bat.* 1713.

7.) Quum polygraphus philologus *Grenius* extra cancellos suæ criticæ transiliret, librumque practicum de *Passione Christi* germanice lucimandaret, qui profecto multa bona complectitur, cum tamen sibi temperare non posset, quo minus Ecclesiæ Tigurinæ ritus in S. Coena vellicaret, ubi nec locus, nec tempus, nec argumenti ulla ratio id postulabat, libellum parvum in eum conscripsi, sub titulo: *Mehrere Arbeit für Hrn. Thomam Grenium.* 8. *Braunschweig.* 1709.

8.) Anno MDCC XIV. aliquid in germanica lingua de *communione quarta* vulgavi. 8. *Zürich.* 1714.

9.) Quum Anno MDCC XXIV, Clotæ pavimentum antiquum tessellatum è terra erutum fuisset, germanice conjecturas de illo & loco & monumento vulgavi. Ad quod accedit.

dit, quod hoc Anno M DCC XXXII. edidi schedam, quam inter Archiva Ecclesiæ Tigurinæ reperi, de alio ejusmodi monumento non procul inde 130 abhinc annis eruto, columna scilicet marmorea, cum inscriptione de Genio Pagi Tigurini, 4. Tig. 1724.

10.) Publicavi specimen edendi Lexici Flaviani concordantialis, de quo plura paulo post. Id inseri curavit *Havercampus* editioni suæ Flavianæ. Tom. II. p. 305.

11.) Desiderabantur a me habitæ in Psalmum XLV. Conciones, quas non denegavi publico, editas sub titulo, *Geistliches Hochzeit-Lied, oder schriftmäßige Erklärung des 45. Psalmens in 16. Predigten.* 8. Zürich. 1729.

12.) *Des Sünders Buß und Trost, oder Erklärung des 51. Psalmens.* 8. Zürich. 1730.

13.) *Der Passion vor dem Passion, oder Predigten über das 53. Capitel Jesaja.* 8. Zürich. 1732.

14.) Quum longo multorum annorum exercitio Catechetico, quod cum Archi-Diaco-natu meo junctum est, observarem, magnam ex utroque sexu partem, postquam semel ad Sacrosanctam Communionem admissi sunt, & ita ordinariis Catechetis examinibus exempti, etiam contra voti in hoc sacramento suscepti regulam, ad omnia alia deflectere, Catecheticas exercitationes negligere, hac re non paucos ignorantissimos reddi, quasi nullum unquam religionis vel pietatis bonum succum imbibissent, alios ad flagitia & in varia scelera ruere, vanitatibus hujus mundi immergi, alios ad librorum quidem lectionem ferri, sed inutile.

lium, pietati bonisque moribus noxiorum, alios etiam inscios incidere in Fanaticos & obscuros, aut errorum veneno infectos, quos à salutaribus discernere nequeant. Hoc cum animadverterem, diu apud me cogitavi, quomodo illud genus hominum enutrire possem eodem lacte quo infantes & pueri educati sunt, & non tantum non aliis rebus, sed & nec alia methodo docerentur. Hinc aliquot annis elaboravi opus in quo quadringentorum plurimum locorum Scripturae, qui ad Catechismum nostrum pertinent, brevis per quaestiones & responsiones explicatio & applicatio extaret, qui labor anno 1731. Tiguri lucem vidit.

15.) Die bußfertige Sünderin, barmherzige Samaritan und geschäftige Martha, aus Luca dem 7. und 10. Capitel. 8. Zürich 1732.

16.) Göttliche Richter- und Buß- Rosau, angeblasen in 13. Predigten über den 50. Psalm. 8. Zürich 1732.

17.) Theatrum Providentiae, oder Schau-Platz Göttlicher Vorsehung, über den 73. Psalm. 8. Zürich 1733.

18.) Büschelein allerhand Casual und Fest- Predigten. Zürich 1733.

19.) Spicilegium triticeum post messem avenariam ex Flavii Josephi campo. 4. Tig. 1734-

20.) Das zerbrochene Horn der gottlosen, und aufgerichtete Horn der Gerechten, oder Predigten über den 75. Psalm, samt Bättag- Predigten über Judä vers. 20 & 23. 8. Zürich 1734.

21.) Flavii Josephi Alterthümer, wie auch Krieg

der Juden mit den Römern, desselben Leben, samt dem Egessippus, mit nöthigen Einleitungen, Anmerkungen, Figuren und Münzen, 2c. 6. Theil. 8. Zürich 1735.

22.) Kirchen-Histori des Israelitischen Volks, oder Predigten über den 78. Psalm. 8. Zürich 1735.

23.) Die Lieblichkeit der Wohnungen Gottes, oder Predigten über den 84. und 95. Psalm. 8. Zürich 1737.

24.) Das herrliche und immerwährende Lob Gottes, über den 103. und 113. Psalm, samt einer Jubel = Predigt. 8. Zürich 1738.

25.) *Horæ græcæ in Novum Testamentum ex Flavio Josepho. Lugd. Bat. 1740.*

Hæc quidem impressa sunt. Aliquid nunc monendum de variis collectaneis manuscriptis, quæ non primario ut vulgarentur, sed in usum privatum multis annis parata sunt, quædam integra & absoluta, quædam ita ut iis demi potius quam addi debeat, si lumen aspicere debeant. Multa enim nobis scribuntur, quæ nulli alii inserviant, multa obiter notamus, quæ meliore otio elaborare velimus. Conciones meas scripsi de verbo ad verbum, quarum plura habeo volumina, quod moneo, non ut edantur, neque enim mihi de eo præsumo, sed neque idem erat semper ad elaborandum otium, & tempus, & locus, & personæ, & occasiones, aliud atque aliud postulant, id saltem velim monere juvenes V. D. Ministros, ne turpi non scriptioni assuescant, si ædificare velint.

Locorum communium Theologico - Historicorum,
qui

qui etiam pro indicibus adhiberi queant, juxta alphabetum duo sunt volumina in folio, quæ mihi quandoque in concionibus adornandis subsidio fuerunt. In hoc genere omnia quæ legeris notare operosum nimis, molestum & inutile: nihil excipere, soli memoriæ fidere, aut suo tantum judicio sapere, id est cujus posterioribus annis aliquem sed sero pœniteat. Sed vicissim tales loci communes unicuique pro se colligendi, sua unicuique clara sunt: aliorum uti velle nec facile & commode possumus, neque id cum nostris cogitationibus convenit.

Cum superioribus fere conjunguntur septem volumina in quarto *collectaneorum secundum seriem Scripturæ*, quæ inde ab anno MDCLXXVI quo Pater mihi ejus suator & primus index fuerat collegi, in quodvis caput scheda separata. Huc conjeci si quid meis meditationibus affectus sum, si quid pro concione, pro disputatione, pro lectionibus publicis, pro colloquiis privatis, quod mihi placeret audivi. Complentur insuper indicem plurimorum Auctorum, qui vel integros S. Scripturæ libros, vel in singulares textus aliquid scripserunt, suntque hic infinita, quæ in *Heideggeri* enchiridio, vel in *Dorschæi* & *Grambsii* Bibliis numeratis, aliisque ejusmodi Scriptoribus non extant. Plura verum insunt, quæ mihi soli, vix ulli alii servire possunt.

Tum munus Bibliothecarii quo per pluribus annis defunctus fueram, tum amor quidam quo ferebar in *Flav. Josephi* scripta, me incitarunt ad investiganda numismata antiqua, illo-

rumque cognitionem hauriendam. Perspexeram enim in Judaici hujus Auctoris libris legi, & ad illum referri posse, pleraque quæ ad Hebræorum, Græcorum, Romanorum antiquitates pertinent, aut ex iis adhuc nostris diebus supersunt. Huic inde studio multum temporis nec parum sumtuum dedi, unde & aliquot miscellanea volumina, quæ aliis parum, mihi sæpe subsidio fuerunt. Unum ex illis quod ad *Flaviana* pertinet observari meretur, in quo millenorum numismatum prisecorum cum textibus *Josephi* parallelismum è regione ostendi.

Ad hæc *Flaviana* nunc delabor. In hunc Auctorem multis annis pronus ruebam, tum studio numismatum antiquorum, de quibus modo dixi, tum Græci Sermonis post Sacras Literas & Septuaginta Interpretes amore, quippe eum non tantum pure tradit, sed & optimos quosque profanos Græcos Historicos penitus devoravit, tum præcipue quod auditione prius, dein experiendo perspicerem, hunc esse testem veritatis ex iis maximum, de quibus Moses in Canticò ait, *hostes nostri erunt testes nostri*. Sine eo quam multa in Codice sacro non possumus clare intelligere, sine eo historiam chronologicam Veteris Testamenti cum Novo non possumus combinare, aut lacunas temporum supplere. Is mihi certe Jesu Christi Domini Dominorum Regumque Regis constitutus Historiographus, quæcunque ipse & divinitus inspirati ipsius Apostoli de abrogatione veteris cultus prædixerunt, uti impleta sint exactissime profert, ipse justitiæ divinæ severitatem declarat, ipse adversus Epicureos, Atheos & illusores providentiæ Divinæ veritatem & maje-

majestatem
sacra conve
nitatem &
unquam lo
bat, ubi n
ut mihi fat
Græci text
in duo ju
quidem si
ut ad sum
quasi con
S. Scriptur

Ab
tionem
lecta a
volum
fuerat,
tu de no
post ipse
Sermon
mam at
bam, ali
non sup
omnium
indicem
piorum
hic inferu
dore non
dos, cry
lationes,
vatumque
parcos al
aliquid
chæce q
riorum fa

majestatem asserit, ipse profanæ historiæ cum sacra convenientiam, & in quibus dissonat vanitatem & novitatem tradit. Certe mihi vix unquam locus Scripturæ explicandus occurrebat, ubi non sedulo *Josephum* contulerim, & ut mihi satisfacerem, comparavi Lexicon juxta Græci textus alphabetum concordantiale, quod in duo justa volumina in folio excrevit, (mihi quidem sunt sex, sed sparsa & non continua, ut ad suum quodvis locum inserere liceat) ubi quasi commentarius in *Josephum*, & ex illo in S. Scripturam, reperiri possit.

Ab hac occupatione transeo ad delectationem Musarum Germanicarum. Habeo collecta a Patre meo miscella etymologica aliquot volumina, hoc enim ipsi studium in deliciis fuerat, id quod ex ipsius *Franco-Gallia* & tractatu de nominibus propriis, luci editis patet. Ex iis post ipsius obitum quum vacabat, ea quæ ad Sermonem Germanicum pertinerent, in formam atque ordinem Lexici disponere statuebam, aliorumque etiam, quum tempus mihi non suppeteret, opera uti. *Spathii* Lexicon omnium pro copia numerosissimum est, illius indicem describi curavi ex posteriori parte, priorem enim alia methodo occœperam. Illic inserui & addidi millenas voces in illo Auctore nondum extantes, phrasas, loquendi modos, etymologias, cum affinibus linguis collationes, cum primis septentrionalibus, observatumque a me est, dictum *Spathium* & non paucos alios, nimio materni sermonis amore aliquando tantum non insanire, & Germanicum efficere quod nulla sua origine, sed solo posteriorum seculorum usu tale est. Gallos video,

quot-

quotquot sunt qui de linguæ suæ originibus scripserunt, a scopo plane aberrare, eos nempe qui Germanicum sermonem non callent, & multorum annorum non usu tantum in colloquiis sed etiam lectione non exercitati sunt. Etiam illud subcivium delictum ad aliquot volumina excrevit, ex quibus polite & ex elaboratioribus unum aliquod jucunditate & utilitate probatum excipi ab aliquo aliquando possit. Dabo unicum exemplum. *Schmelzen und amulieren*, ex eadem etymologia prodire primo intuitu non adeo clare patet, attendenti autem ad populorum variorum in sermone mutationes nihil evidentius est. *Amulieren ist geschmelzte Arbeit machen, welches die Goldschmid thun, schmilz, schmalz, schmelz*, de iis adhibentur quæ calore & igne liquefcunt, uti butyrum, cera, metallum. Hoc Itali & Hispani ex Belgico-Germanico *smelten* corruptius pronunciant & tradunt *smaltare, smeldar*. Galli, quos etiam sequuntur Angli, more suo & linguæ ductu, *S. Sp. St.* & similia ab initio pronunciare vix possunt, nisi addito prius *e*, *Ratus estat, spiritus esprit*, & sic deinceps. Hinc jam ex *smelten* *esmaltar*, s autem a delicatulis Gallis ante alias vocales ut plurimum deglutitur. Hinc *emalter*, & iterum *t* in pronunciatione nimis duro eliso *emailer*, & ex *emailer* *amulieren*.

Ad has etymologias pro appendice, vel potius ante illas pro fundamento etymologiarum & mutationis linguarum pono, non magnæ molis, sed paucarum schedarum tractatum, quem collegi de *permutatione literarum*, quæ profecto observatio tanti ponderis est, ut in etymologiis absque primo hoc subsidio nihil

hil vel faci
In hoc gen
tineat aliqu
re, quoad
al Latina
lia, Hisp
manica &
Danica, &
rim, salter
ribus ann
mili præ
lis Gothi
Lexicon
mor ling
opulenti
alicui v
huc m
T
Catalo
ser sepr
seiondu
alphabe
Auctore
republic
Gefner
Deobus
omnia it
ille p
frato, G
men pe
orum
noncor
Biblioth
Biblioth
nempe
nabatur.

hil vel facile intelligi, vel solide tradi possit. In hoc genere quod ad Orientales linguas pertineat aliquid habet *Buxtorfius* in *Lexico* majore, quoad *Hebraico - Germanica Avenarius*, quoad *Latina ex Græcis Vossius*, quoad *Gallica, Italica, Hispanica Menagius*. Sed quod ad *Germanica & cum iis affinia Belgica, Anglica, Danica, Suecica & ejusmodi, cum nihil viderim, saltem conjunctim, operam dedi his prioribus annis ut aliquid colligerem. Subsidio mihi præter alia fuit glossarium quod Evangelii Gothicis & Saxonice additum est, Minsbæi Lexicon polyglottum, Mer. Casauboni de quatuor linguis, & alia ejusmodi. Hoc breve opusculum, quod etymologico studio addictis alicui usui esse possit, desiderarem vel vivo adhuc me, vel post fata lucem videre.*

Tandem ad *Lexicon Auctorum* pervenio. Catalogum Librorum juxta Auctores corrasii, sex septemve voluminum in folio (in quarto sejunctim ferme quinquaginta sunt) ubi una alphabeti serie conspicias multos centies mille Auctores librosve. *Gesnerum redivivum & multiplicatum* appellare possis. Ibi primum ipsa *Gesneri Bibliotheca* extat, sed aliter disposita. Duobus enim exemplaribus mihi comparatis omnia ita dissecui, ut pro prænomine, quod ille prius posuerat, more illo seculo non inusitato, sed perquam sinistro, nunc familiæ nomen præponatur. His accessit Catalogus Auctorum Bibliothecæ Tigurinæ & Civicæ & Canonice. Accessit *Thomæ Hyde* Catalogus Bibliothecæ Bodlejanæ, accesserunt Catalogi Bibliothecæ Monasterii San Gallensis, quando nempe illa præterito bello apud nos peregrinabatur, plures quam quadraginta Bibliothecæ par-

particulares, *Hottingeriana*, *Heideggeriana*, *Ottiana*, aliaque plures, cum primis multo major pars *Actorum Lipsiensium*, ab initio usque ad hanc ultimam annorum decadem. Ex Catalogis Typographorum & Bibliopolarum pauca, sunt enim sæpe mutili, ex Catalogis auctionum in Gallia, Anglia, Belgio, qui exacti sunt & aliquid eruditionis continent multo plura, ex commerciis Literatorum, *Magliabechii* aliorumve non pauca. Reperias etiam illic manuscripta anecdota hinc inde in scriniis latentia, multa hactenus ignota. Hæc collectio hac quidem ætate & occupationibus, nonnisi cum aliquid mihi visum probatumve fuerit, augetur, præteritis temporibus omnium opera & studio in id adhibito. Copia ejus per Amanuensem Nuntio Apostolico ad Helvetios facta, Romam transmissa est, alia in Angliam pervenit, in folio descripta, uno latere albo relicto, ut alia semper addi possint. Scopus est ut collatis, etiam apud exteros in diversis nationibus & remotis a se populis & linguis, ejusmodi operis aliquando adperfectam, quantum pote est, librorum cognitionem aut numerum saltem deveniri possit, quod unius hominis vel unius loci minime est.

Huc denique referri debet, præter curriculum vitæ *Joh. Henrici Ottii* Patris (a) & Orationes aliquot, *Catalogus Historico-Chronologicus* omnium Scriptorum Helvetiorum de Helvetia aliquid tractantium, continuatus à P. O. ad nostra tempora. Vita brevis, opus multum, multum quod imponitur ab aliis, multum quod imponimus nobismet ipsis. Tantum.

(a) Isthoc vitæ curriculum, $\sigma\upsilon\upsilon\upsilon$ $\Theta\epsilon\omega\varsigma$, proxime huic nostræ collectioni insertum emittemus in lucem.

JOH. JACOBI REUTLINGERI,
Ludi Carolini Moderatoris & Ca-
nonici Venerandi,

ORATIO

De

Primogenito in orbem habitabilem ite-
rum introducto, & hinc vel An-
gelis adorando :

Ex

Hebr. I. 6.

Dicta Festi Paschalis parasceve, prid. Ca-
lend. Aprilis M DCC XIV.

Præfamen Editoris.

Orationem hanc Vener. Avunculi nostri Tibi Cand. Lector exhibemus, blattis ac tinceis jam dicatam, quamque vix ac ne vix a pientissimi Viri modestia extorquere potuimus. Animus erat Vitam ejus brevi adumbrare penicillo, sed cum id abnueret, decessimus instituto. Levem proin hanc sciagraphiam æqui bonique consule.

Natus est Clarissimus Orationis hujus Auctor Tiguri IV. a. Idus Decemb. A. MDCLXXI. Patrem habuit JOH. JACOBUM REUTLINGERUM, Scholæ Abbatissanæ Moderatorem dignissimum. Studiorum fundamenta in patria jecit, Præceptoribus in Schola triviali usus, præter Parentem optimū, *Benj. Faesio & Casp. Hirzelio*, Professoribus dein in Collegio superiore Viris Celeb. *Heideggero, Lavatero, Wolfio, Suizero, Ottio, Hofmeisteris, Hottingero, Frisio*. Numero V. D. Ministrorum A. MDCXCI. adscriptus exteras oras, ac primum quidem Altdorfinam petiit Academiam, ubi cum itineris sociis *Cramero & Scheuchzero*, Celeb. *Wagenseilium & Sturmium* diligenter audivit. Inde Germaniæ, Belgii, Frisiæque Academiis iustratis, Bremam concessit, ibique cum conterraneis *Nischelero & Hurtero*, illo Tigurinæ, hoc Scaphusianæ Ecclesiæ postmodum Antistitibus, *ὡν ἐν ἀγίοις*, sub *Corn. Hasæi & Fr. Baringii* auspiciis, studia sua strenue est profecutus. Redux domum Scholæ est admotus, cui per annos nunc quadraginta quinque utilissimam præstitit operam, anno MDCCXXV. in Venerabile Canonico-
rum etiam receptus Collegium.

Præ-

Præ-
Philosoph
Job. Heur.

2.) Or-
XVII. Vi-
si morient
Hagg. II.
gloriam d
heroico

3.) C
sa, Juda
mine it
reliquis

4.
wend
rich

5.
Tig. 17

6.)
culturan
elegiac
vt. To

7.)
maior
Lutic
glaci

Præter carmina multa edidit 1.) Dissertat. Philosoph. de corporum naturalium motu, Præside Job. Henr. Suizero. 4. Tig. 1691.

2.) Orationes duas, quarum prior ex Num. XVII. *Virgam Abaronis aridam & frondentem Christi morientis & resurgentis typum* sistit, altera ex Hagg. II. 9. *majorem Templi Hieros. posterioris gloriam delineat*, illa 1698. hæc 1705. utraque heroico carmine recitata. 4. Tig. 1707.

3.) Orationem secularem de *Jubilæis Ecclesiæ, Judaico, Christiano, Pontificio, Reformato*, carmine itidem heroico recitatam 1719. & cum reliquis secularibus scriptis editam.

4.) *Wohlmeinlicher Bericht von der Nothwendigkeit und Nutzbarkeit der Schulen.* 8. Zürich 1719.

5.) *Grammaticæ Latinæ fundamenta.* 8. Tig. 1724. Editio altera *ibid.* 1732.

6.) *Georgica Scholastica, sive orationem agriculturam emblema Scholarum* sistentem, carmine elegiaco A. 1736. recitatam. Vid. Temp. Helvet. Tom. I. pag. 509.

7.) *Grammaticam Germanico - Latinam majorem, oder grundliche Anweisung die Art der Lateinischen Sprach aus - und nach der Deutschen glücklich zu begreifen.* 8. Zürich 1738.

J. C. H.

ORATIO

De Primogenito in orbem habitabilem
iterum introducto & Angelis
adorando.

SI Darii Persarum, vel Divi Augusti Romanorum potentissimi Monarchæ, si Alcibiadis aut Hannibalis Ducum fortissimorum, si Ciceronis, Demosthenis, aliorumque apud *Plutarchum* & *Valerium Maximum*, (a) si Othonis illud apud *Suetonium*, (b) si quæ alia denique objecta mortalibus somnia digna erant, quorum memoria posteris proderetur, in sacratissimas certe tabulas referri dignissima fuerunt, quæ Josephus Patriarcha ephebus adhuc vidit. Vidit autem vir plane divinus, dum videretur una cum fratribus fasces sibi in agro colligare, non surgentem modo & stantem suum illum, sed a fascibus fratrum, velut reverentiam exhibentibus, stipatum etiam. Vidit aureum præterea Solem, & argenteam Phœben, & lucidissima undecim sydera, sibi incurvari. (c) Somnia non vulgaria utique & protrita, neque apud Amphiarai, aut Amphiloichi, aut Trophonii, & Æsculapii Templum impetrata, neque a Jove, secundum illud *Homeri*, (d)

Ka)

(a) *Valerius Maximus* Lib. I. cap. 7.

(b) *Suetonius* in Vita Ottonis cap. 7.

(c) *Genes.* XXXVII. 6. 11.

(d) *Homerus* *Iliad.* I.

Καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν,

Sed ab ipso Deo O. M. immissa. Somnia, non somnia, sed futurorum præfaga, & gloria, ad quam post acerbissimas illas passiones, post servitia, quæ, ut cum *Seneca* loquamur, (e) *ferre durum, invisum & grave est*, post vincula denique & compedes erigendus Josephus esset, prænunciæ, magnæ & admirationis, & clari exitus. Quippe cum orbem terræ gravis annonæ inopia, rebus in Phario regno adversus famem bene interim compositis, quateret, tum vero Jacobus filios etiam suos in Ægyptum mittere, tum potentem illi rerum, pene quem annonæ arbitrium erat, adire, tum fratrem suum, quantumvis inscii & nil minus cogitantes, more etiam regio adorare, tum denique Jacobus ipse, cum omni sua progenie ad illum commigrare, tum sol iste hieroglyphicus, tum Luna Mater, in liberis suis, vel noverca etiam, tum fratres, velut undecim sidera, illi adgeniculari, & unum ipsius fascem, omnes illorum fascēs venerari, (f) plane, ut id honoris illi deferendum ab omnibus, præco à Rege emissus per suum illud אברך jam ante præceperat. Ita nempe visum fuerat Deo, ut qui in omni suo cultu mille modis indignissime vexatus J. Christum adumbravit, carceri etiam exemptus, & ad regiam pene evehctus dignitatem, annulo, torque, vestimentis basilicis refulgens, honoratusque omnibus, εὐόνοργός τε καὶ εὐδουρίγος ille noster typus ejusdem foret, exactis doloribus mortis mirifice exaltandi,

D 2

(e) *Seneca* in Troad. Act. IV.

(f) Gen. XLII. XLIII. XLVI. XLVII.

tandi, & nomine quovis alio præcellentiore donandi, cui omne se genu flecteret, lingua omni, Jesum esse Dominum, publice professura; non frangenda scilicet, quam apud Jesaiam (g) ipse ille firmatam dederat, fide; quem Hebr. I. 6. multa inter elogia, quibus ipsius supra Angelos etiam eminentiam adstruit, magnus ille Gentium Doctor, *Primo-genitum in orbem habitabilem, cum celeusmate, & adorent illum omnes Angeli Dei, iterum introductum* appellat. Argumento me hercule plusquam Achilleo pugnans, quod totum sua se suavitate, suo etiam pondere, & majestate commendat omnibus, huic autem, & loco, & tempori congruum inprimis videbatur, cum in illustrissima hac panegyri Venerabilis Ecclesiarum nostrarum Antistes ex more antiquo dicere me juberet. Quid enim aptius ad comprimendum aliquanto luctum nostrum, qui *passum* hactenus propter peccata *Redemptorem* non sine dolore sumus intuiti? Quid secularia & aliena, si vel maxime insueta & nova, sacris de Christo cogitationibus festiivis hujus modi feriis juvat interstrepere?

Sed parum abest, quin nunc hæsitent, & obmutescam plane,

Ut Lugdunensis Rhetor dicturus ad aram.

Ut Thalybius, & Euribates Græcorum ad Achillem missi oratores, cum pudor ingenuus neque a Pompejo abfuerit, neque disertissimus Romuli nepotum, toto se corpore perhorruisse, quotiescunque se causæ momentosæ disceptationi accingeret, veritus sit fateri. Ita insuetos

(g) Jes. cap. XLV. vers. 23.

tos nunc video parietes ! Ita alias longe, quam quas inter pulvere aspergor quotidie, & lallare cogor, facies ! Ita augustum auditorium, & virorum doctissimorum undequaque referatum, quorum aures arrextæ nonnisi tersa & polita probant omnia ! Ita meæ infantix conscientia commoveor. Duo tamen sunt, quæ quiddam quasi animulæ inspirant ; laus obsequii, quæ semper mihi fuit antiquissima, & certissima persuasio, neminem, licet ab omnibus ingenii & doctrinæ copiis sit paratissimus, posse, non dicam dicendo, sed ne cogitando quidem consequi, quam meditatur gloriam.

Liceat ergo, A. A. ex Oraculo Paulino Christum *Primogenitum in habitabilem iterum introductum, atque hinc vel Angelis adorandum*, in obtutum vestrum producere ! At liceat sermone nunc soluto, uti delectat varietas ! Liceat absque oratoriæ artis pigmentis, flosculis, lenociniis, coloribus, elegantiss, phaleris, quibus ut me non esse instructum ingenue confiteor, ita innata *Primogenito nostro* majestas & pulchritudo non indigent. Liceat vestram omnium benevolentiam illa Magistratu olim sacrificante usitata præconis formula implorare : *Vos linguis favete ! Favete linguis, inquam, & aures animosque advortentes proferenti, quæ ad Cle-anthis lucernam minime sunt elaborata, eruditi & graves esse desinite, vestræ hoc & meæ erga Primogenitum nostrum pietati beneficium daturi. Cujus ut dicentem imprimis adjuvet Spiritus, iterum iterumque adoro, sollicito.*

Ita nunc paulatim confirmari me sentio, & dum neminem video, qui salutari ora digi-

to comprimat, minus annulo obfignet, quod Hephæstioni ab Alexandro factum refert amœnissimus scriptor *Curtius*, in ipsam dicendi provinciam ingredior. Et ecce obvium heic mihi spectaculum toto orbe pulcherrimum, *Primogenitum* supra omnes alios *eximium*! Eximios enim jam olim in Ecclesia Patriarcharum *primogenitos* omnes fuisse, quotquot primi e bulga matris, immo ex utroque parente in legitimo toro erant progeniti, nostis universi. Vah, quam flagranti Israelem hinc juris eorum potiundi raptum desiderio, quam avide illud ab Esavo, qui ab ejus contemptu *βέβηλος* Apostolo audit, redemisse legimus, quam eximiis illi *prærogativis* superbire sunt visi? His sane, ut principium roboris parentum, & eorum fere deliciae erant, sic (a) *dupla* in erciscunda *hereditate paterna*, Lege etiam sancita, portio debebatur; quam Josepho, ob admissum a Rubene insigne flagitium, hoc ad illum jure devoluto, etiam in Cananæ distributione venisse comperitum & exploratum habemus: his *benedictionis avitæ*, in coelestibus maxime, *amplissima pars*, qua suum hinc Jacobus Esavum, suum Joseph Manassen voluere lustratos. (b) His in *minores fratres imperium & principatus*, ut Caino & Jacobo decretus, ita in Judam emphaticis admodum verbis una cum natalium Messiae *prærogativa* translatus. His sequentibus etiam temporibus, communi cum Gentibus ratione, *soli regni que paterni hereditas*, Joramo uno hoc nomine assignata. (c) Hi quoties ita Genitori videretur presenti, absente vero inprimis vel defuncto, in familia ejus integra *sacrorum administri*, tracta etiam in partes, ut profapiae nunc avitæ Patriarchæ, digniores reliquis fratribus Sacerdotes.

Spe-

Speciali p
Monarch
le primog
manium
gypto str
appellans
m, sibi
oblation
modo ex
nandas,
novo in
Hominum
tum illi
illis itro
um? In
cade,
cio &
tique,
vel ipsi
rogaret
etiam r
cio imm
Deo, il
re mod

„A Sacer
„liber

„liber

Et terra

Et orbis

(b) E

Speciali præterea lege, ab ipso cœli terræque Monarcha nobilitati. Cum enim funestam ille primogenitorum, hominum pariter & animalium, at intactis Israëlitarum illis, in Ægypto stragem edidisset, tum vero suos etiam appellans masculos illos, communi exemptos usu, sibi haberi sacros, sibi pecudes puras per oblationem tradi, impuras aut vitæ quovis alio modo expelli, aut per puras, aræ pariter destinandas, redimi, immo & *homines sibi devoveri*, novo in illos jure præcepit. (b) Quid vero? *Hominum* etiam *primogenitos* morti, ut Massiliensium illi sacri, devovendos? Siccine poenam illis irrogasse, non beneficium præstitisse Deum? Immo siclis quinque argenteis redimi a cæde, ea tamen lege præcepit, ut a commercio & rebus humanis separati, sibi sancti devotique, Sacerdotibus ministras locarent operas, vel ipsi, quod contendunt plerique, dum subrogaret Levitas, Sacerdotio fungerentur; tum etiam redimendi, & a sacrorum quidem officio immunes, semper tamen sacri addiditque Deo, illius portio & peculium futuri, non jure modo communi, quo tanquam creatoris

„ Ἀθανάτου πελε γαῖα, καὶ ὅσα τε γαῖα κεχάνθει

„ Κόλπῳ ἐν ἔυρυχόρῳ, τῆ δ' ἔπλετο πᾶσα πε-
ρι χθον̄.

„ Πᾶντες δ' οἱ ναίουσιν ἐπὶ χθονὶ πελοβοτείρη.

*Et terra & terræ, quicquid complectitur orbis,
Et orbis omnes incolæ, imperio subsunt Do-
mini. (i)*

D 4

Non

(b) Exod. XIII. 2. 12. 13. (i) Pf. XXIV. 1.

Non modo, quo Israëlem universum, sibi junctum foedere, filium dicit *primogenitum*, speciali, sed privatissimo etiam, ut vindicati e manu Angeli ὀλοθρευτῆς, & e promiscua turba electi.

Ita vero ὁ παντοκράτωρ non Israëlis tantum præ aliis nationibus dignitatem, & acceptum in *primogenitis* beneficium; non suum modo in res omnes dominium, non florem modo sibi omnium, fructus primos & præcipuos, velut res mancipi, deberi, ibat commemoratum: non hic panegyri modo sanctorum, N. præsertim Testamenti, in coelis descriptorum, illos e mundi fæce selectos, & per Christum redemptos, & justitiæ cultui mancipatos, factos reges & Sacerdotes Deo, hæredes gratiæ & salutis: sed quod rei caput, *Christum* imprimis, omnium illorum in Ver. Testamento pigmentorum, auguriorum, & prælusionum complementum ὡς ἐν τύπῳ adumbratum.

Hic, hic, inquam Primogenitorum omnium catervis

Vertitur in mediis, & toto vertice supra est.

Primogenitus κατ' ἐξοχήν, modo, sine restrictione, eminentissimo; *Primogenitus*, & *Unigenitus* a Patre, sua natura, & per essentiam, genitura nobis plane imperceptibili ab æterno genitus, de qua scite *Gregorius Nazianzenus*: Ἀκείεις γέννησιν, τὸ πῶς μὴ περιεργάζε. Ἀκείεις τὸ προῖν, τὸ πῶς μὴ πολυπραγμόνει. *Solus, cui Pater: Filius meus es tu, ego hodie te genui, adeoque & Primogenitus inter multos fratres, non per naturam, sed gratiam tales, & Primogenitus omnis creaturæ,*

ræ,

ια, πρωτότοκος non πρωτόκλιτος, non ante ita creatus, sed genitus, quam crearentur omnia. *Primogenitus*, quod ad carnem Mariæ ἀεὶ παρθένος. Ἰὺς ἀγῆν, *filius masculus*, & *vir fortis*, cui robur, & æs triplex circa pectus. Robur & potentia Jehovæ Patris, ita ultra etiam, quam suos terrigenæ primogenitos depercut, depercut autem mirifice, illius amor atque delicia, ut in illo electis etiam præstet, quem non merebantur, amorem. *Primogenitus* & ab æterno, & in tempore, ad ministerium Patris, obeundaque Mediatoris munia segregatus & emancipatus. A Jehova ab utero vocatus ille imo & sanctificatus per Spiritum æternum, & sanctificans se ipsum, imo & externo primogenitorum ritu & more, a Matre Virgine consecratus Deo, factus sui ipsius typus, umbra, figura, qui ipse corpus, veritas, imago est. *Primogenitus* sine labe, ita intaminata sanctitate conspicuus, ita per passiones etiam sanctificatus, ut per ipsum Pater, & in ipso omnis Israël secundum spiritum, in veritate sanctificetur.

Fallor igitur, aut hic ipse est, de quo regius Vates, (k) *Scitote, quod Sanctum suum sibi segregavit Dominus cecinit.* Fallor, an præstantiora etiam privilegia sunt, quibus supra omnes ille mortalium primogenitos gaudet? Immo vero, quicquid tandem de sacerdotio primogenitorum Israël sit, hic certe unus & verus Ecclesiæ suæ non Sacerdos modo, sed Pontifex est, cui jurejurando Sacerdotium æternum & ἀπαράβατον est decretum. Unus ille dignus, nemine præterea spondere auso, qui accederet

D 5

ad

(k) Psalm. IV. 4.

ad Deum. Unus qui ipse se pro fratribus obtulit *προσφορὰν*, καὶ *θυσίαν εἰς ὁσμὴν εὐωδίας*, & apud Patrem ipsorum agit causam Orator. *Primogenitus*, cui *dupla*, & ea amplior, præ fratribus *portio* & *hæreditas* debebatur, non auri argenti que pondus, raptaque rerum terrenarum spolia, & curules orbis domitoribus sellæ, sed Spiritus sine mensura, & sapientiæ omnis in exhaustæ divitiæ. Non modo primitiæ proventus sui, Judæi, sed & fines terræ, & qua late patent Gentium insulæ, latifundia, exercitus. Sed ipsum denique in cœlis regnum, hæreditas lautissima, in cuius fratres quoque minores partes vocat. Ipse ita omnium caput, ut *πᾶσα πατριὰ*, omnis Patris familia, quemadmodum ab ipso denominatur, sic in ipso benedictionibus amplissimis etiam & spiritualibus cumuletur. Vir *Patri proximus*, *fratrumque princeps*, ordine omnibus, & tempore, & dignitate, & viribus, & jure, & auctoritate præcellens, cui summum in omnes & omnia imperium competit, illustre in vestimento & femore *παράσημον* Regis Regum, & Dominantium Domini sustinenti, & ut soluto in morte, non quinque siclorum, sed plenis calathis effusi sanguinis sui lytro a morte cum fratribus redemptus, hos in primis dicto sibi audientes haberet, abunde merito. Hem illustres & vere divinas *Primogeniti nostri prærogativas!* Ut illum in primogenitis veteris Ecclesiæ depictum cernimus

Ἄδεν ἀριστέειν, καὶ ὑπεύροχον ἔμμεναι ἄλλαν;

Ut ante formosulos illos formosus, quid vero formosus? immo formosissimus apparet, & dignif-

dignissimus quem *in orbem iterum atque iterum* introduceret Pater, *introducendum* alta voce Tarsensis intonaret.

Quid vero ? In orbem ? Imo *eis οὐρανὸν*. Apostoli enim hæc vox est, cui *הַבַּיִת* Hebræorum respondet. Immo *habitabilem* illum, & *frugiferum orbem*, qui colitur, immo in *Ecclesiam*, præsertim *N. Testamenti*. Condidisse enim terram Deum, non ut esset inanis, sed ut *habitaretur*, Esajas (1) auctor est. *Habitatur* autem, ubi hominum genus, & inprimis sanctius reliquis, mentisque capacius altæ, incolit. *Habitatur* & *fecundatur*, ubi est *Ecclesia*, salutiferis e cælo Spiritus sancti laticibus irrigata, in qua verbi divini & sementis fit, & fructus fidei & justitiæ germinant. Terra reliqua *non habitabilis*, sed, quibus fatidicas paginas & Gentilismum, & Anti-Christi regnum frequenter conferre meminimus, *silva* velut est,

*Obscurum cingens connexis aëra ramis ,
Et gelidas alte summotis solibus umbras*

Sed desertum,

*Et sævum in dumis , interque horrentia
lustra*

harpyarum, ferarum, & impurorum spirituum receptaculum ; sed *mare*, quod recipiendis feminibus ineptum, balæna, & draco, & pisces immundi, & monstra omne genus marina fulcant.

Vidit casca jam *Ecclesia Primogeniti* in
habi-

(1) Jof. XLV. 18.

habitabilem *introducendi* velut stricturas. Cœperat tunc jam Genitor æternus terris illum ostendere & ad omnes primum Patrum familias, post ad solos Israëlitas introducere, ut sola illorum terra habitabilis, reliqua מִדְבָּר desertum esset, in promissionibus, vaticiniis, legislatione, apparitionibus etiam sub humano schemate frequentioribus, & variis, quos ut דְּמַרְבַּר verbi omnis divini ab initio auditi præco & auctor ad suos habuit, sermonibus, & legalibus illis primogenitorum, Naziræorum, Sacerdotum, Regum, Prophetarum, Tabernaculi, Templi partium, vasorum, instrumentorum, sacrificiorum, &c. umbris, figuris, typis, quibus nitidissime depictum novimus. At non erat realis ista, & plena *Primogeniti*, & in omnem habitabilem *introductio*. Aliam & nobiliorē longe, & iteratam illam, velut medullam istorum corticum, fideles illius temporis anhelasse, quem nostrum fugit?

Erat novissimis illa diebus, tempore quod divina Sapiētia velut lege fixerat, *publica & solennis* exspectanda. Tum vero cœlestis Pater *Primogenitum* hunc suum carne etiam vestitum, incolam & rectorem Spiritum habentem, non sine omni apparatu *in habitabilem* in nativitate introduxit, simul salutis præconem, simul sacrificium pro peccato futurum, neque jam uni alicui familiæ, aut nationi, sed Judæis ac Gentibus, *omnique adeo habitabili* manifestandum. Tum vere *Primogenitus* ille noster in mundum ingressus est, ut omnes, quibus præfiguratus erat, typos impleret, & quas in se susceperat Mediatoris partes, solēni inauguratione prævia, stentē exsequeretur. At ne sic quidem

gloria


gloria & eminentia *Primogeniti*, omnium sese luminibus ingerebat. Venerat enim omni gloria, quam quibus oculi ad splendida saluunt mirarentur, nudatus. Introductus erat ut seruus, & mediastinus quidem ac maltigeus, cui quod spondisset noxa praesto erat, ferulae, plagae, lora, virgae, & supplicium denique crucis, juxta ipsum illud *Juuenalis (m)* *pone crucem seruo*, servile.

Iterari ergo illius in habitabilem introductionem divinum volebat consilium, & rerum ordo postulabat; non in triumphali in caelum ascensione vel coeptam, vel absolutam, quod *Socini* fingunt socii, priorem etiam illam, qua *Christus* adultus jam super astra fuerit evectus, revelationibus & mandatis instruendus a Patre, putido ore mentientes. Quis enim vel caelum *οικαμένην* usquam vocari, vel de *iterata* *Christi* in caelum ascensione volam in Scripturis, aut vestigium nobis ostendat? Neque in ipsius ad decretorium iudicium reditu, non nunc ad inferiora ista, sed cum nubibus caeli, in superiorem aliquem locum, quo in ejus rapiemur occursum, venturi; non tum demum ex *Vatis* regii, *Paulique* oraculo adorandi, sed multis jam seculis adorati ab Angelis, verum in *resurrectione* ex mortuis, majestatis & gloriae plena.

In morte *Primogenitus* ille noster ex *habitabili* ad τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, in abditos terrae recessus commigraverat. In *resurrectione* autem sua πάλιν iterum in habitabilem, suo ut jure & merito, sic sua ipsius virtute *introducitur* est, & in

tro

(m) *Juuenalis* Sat. VI. vers. 219.



troductus eadem illa potentia & voluntate a Patre, qui cum pœnam ab illo peccatorum exegisset Judex, non potuit non illius resurrectione, velut actione publica & solemnī testatum facere, se in iustitia Filii sanctificatum, in iudicio ipsius exaltatum, ejus lytro sibi satisfactum, *Primogenitum* per passiones consummatum, & ut omnem juris primogenituræ fructum percipiat, impense meritum.

Ecce! Ita qui mortuus ante, vivus jam, & *Primogenitus ex mortuis* conspicitur! Ecce, primus hic omnium, qui proprio jure & robore recipit vitam! Primus & unus, cujus voluntate & virtute resurgunt, quotquot resurrexerunt, aut resurgent unquam. Unus, in cujus resurrectione totam Dei familiam, ad beatam resurrectionem sanctificatam esse constat. Ecce! Ita Noachus ex arca nunc, ita Josephus ex fovea & carcere nunc, ita Moses ex fluente nunc, & ex oppido Gasitarum Simson, & ex leonum antro Daniel, in orbem postliminio redit! Ita Sacerdos summus cum sanguine in Tabernaculum prius ingreditur, per illud ad Sanctum Sanctorum aperiendum pergens. Ita avium leprosi purgandi mactata altera, altera in terram liberam & patentem emittitur. Christus *Primogenitus* denuo nunc in habitabilem *introducitur*, qui ad passiones ante & ignominiam, nunc ad regnum & gloriam, qui dolore fractus, omni nunc miseriæ præreptus, qui servus, nunc Dominus

Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!

Ingred-

Ingred
sibi dederat
requis
cujus illi
flamēto no
dam, sed
lam, & g
Novi Test
no pariet
seculorum
ipsum pro
per resurre
natus, &
re regibus
coelo, u
Spiritus
nedictio
bitam a
illius lin
ta Gentiu

Quod
menti pri
prima jan
Gentibus
vident co
to, per le
vesti, & n
novæ sen
rudinem
rum cen
Schola v
nerum h
& ne tuc
bus orb
stus, ut

Ingreditur ad discipulos, & qui cum ipsis sibi dederant nomen, redivivum sese *ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις* ostentans. *Introducitur* ad Ecclesiam, cujus illi erant primitiæ, in *Novo* nunc Testamento non Cananæ limitibus concludendam, sed per orbem diffundendam, luce illam, & gaudio, & pace, & omni bonorum Novi Testamenti abundantia, rupto intergerino pariete, & deleto chirographo, & justitia seculorum adducta, perfusus. *Introducitur* in ipsum proin *habitabilem Orbem*, potentissime per resurrectionem, nunc & Filius Dei declaratus, & constitutus *Primogenitus*, omnibus terræ regibus eminentior, ipsi denique inferendus cœlo, ut *primogenituræ* jus omne exerceat, & Spiritum ex alto effundat, & *Orbem* quovis benedictionis genere irriget, hæreditatem sibi debitam adeat, regnum jam partum occupet, illius limites quaquaversum extendat, & desertam Gentium etiam in *habitabilem* convertat.

Quod ita felici successu inde a Novi Testamenti primordiis factum, annales testantur, ut prima jam ætas multa credentium ex Israele & Gentibus millia in familiam *Primogeniti* nostri viderit concedere, equo veluti pernici & alato, per longissime dissitos orbis tractus circumvecti, & nullum exinde seculum fluxerit, quin novæ semper copiæ ad hanc hæreditatis multitudinem accesserint; tertia præsertim annorum centuria ex Aula etiam, & Sapientum Schola viros insignes, quarta ipsum Romanorum Imperatorem cum Imperio adduxerit, & ne tum quidem, cum sequioribus temporibus orbi sese intulisset & intrusisset Anti-Christus, usurpans *Primogeniti* hæreditatem, *habitabilem*

bilem hic deseruerit, sed suum semper, quo
 g'oriaretur, peculium habuerit, & felici Re-
 formationis tempore in Germaniam, & regna
 vicina, Galliam, Angliam, Daniam, Sueciam,
 Poloniam, Hungariam, aliasque provincias vi-
 stor redierit, ipsamque in Indiam utramque
 orientalem & occidentalem, pedem post
 intulerit, & suum millenas inter hostium frau-
 des, technas, furores, hæreses, machinas,
 semper seruarit hæredium, ne hinc quidem eo
 excludendus, quod terræ hodie ingentes illius
 iterum peculio subtractæ,

Et seges est, ubi Troja fuit:

Domi vero in Ecclesiæ agro, ubi flores ju-
 cundi tanto uberiore deberent proventu exsur-
 gere, veluti in deserto plane inculto,

*Infelix lolium, & steriles dominantur
 avenæ:*

Cum non possint non aliquando ea sacris
 paginis annuentibus tempora illucescere, qui-
 bus *Primogenitus*, usurpatore excusso, glorio-
 sius etiam in *habitabilem* introducatur, & læta-
 bunda concinat Ecclesia: *Facta sunt regna mün-
 di Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in se-
 cula seculorum. (n)*

O augustam, & vere divinam, o magni-
 ficam simul & solatio plenam, *Primogeniti in
 habitabilem introductionem!* Quotusquisque huic
 orbis Regi, nisi eximie impius, non præstite-
 rit homagium? Quotusquisque nisi Amphisti-
 de amentior, flexo poplite *adorandum* non agno-
 verit?

(n) Apoc. XI, 15.

verit? Immo vero sub ipsam illius introductio-
nem, *Angelis* id Apostolo indice præceptum.
Neque id hominis, aut Angeli alicujus, sed ip-
sius Dei, omni exceptione majus est præcep-
tum. Nimirum cum stilo ille prophetico
Psalmo XCVII. Jehovah Christum, Regem
nunc factum & Dominum totius terræ, jussis
valere, quibus hactenus velut sociis erat stipa-
tus, solum in posterum, & gloriosius regnatu-
rum promulgasset, simul ejus splendorem suis
graphice coloribus depinxisset, tum vero noto-
rium idem celestis istud: *Omnes illum Dii ado-
rabunt*, subnectere: tum omnes, qui in Scrip-
turis dicuntur אלהים *omnes nuncupativos Deos*,
& qui in Cathedra Mosis, facto ad se Dei ver-
bo, sedebant pædagogi & curatores, quibus
populus V. Testamenti divino nomine agen-
tibus fuit subjectus, & cum illis *Angelos* etiam,
Apostolo post LXX. illos interprete, ut hono-
rem Regi Jehovah summum & divinum exhibeant,
solenni prosphonemate exhortari: *Angelos* in-
quam, creaturarum nobilissimos, spiritus ut
potentissimos sic sapientissimos, sanctissimos,
purissimos,

. *mortali lumine cerni*
Qui nequeunt, sedemque Dei, soliumque beatum
Cingentes.

Angelos Dei, ut a Deo, ita ad Dei glo-
riam imprimis factos, coelestis aulae nuncios,
& majestatis divinæ præcipuos testes, indi-
ces, Dei ante alios præferentes imaginem, &
quorum ad divinam naturam natura proxime
accedit. *Angelos*, sive ob hanc ipsam naturæ
sux præstantiam, officiique cujus in cælo &
in terra sunt administri dignitatem, sive quod
præsertim lex iis præsentibus & audientibus, ita
eis διαταγὰς ἀγγέλων fuit lata, ut simul latæ te-

stes, simul custodes & vindices inter Israëlitas, & pœnarum exsecutores essent, Deorum nomine insignitos. Hos inquam, utut eximios, & innumeros, & plurima circum luce resplendentes omnes, nemine excepto, ut nullam esse potentiam tam sublimem doceat, quin huic sit subjicienda imperio,

Exultare polo, superumque accedere Regi, adorationis cultum exhibituros jubet.

Solebant veteres, Auroræ populi præsertim, & in his Persæ, quod Tithraultum Cononi, Artaxerxem volenti, explanatius significasse apud *Nepotem* legimus (o); immo & Judæi, viros principes non tantum capitibus flexis, submissisque genibus, sed toto corpore in terram prostrato, & (quæ vocis προσκυνεῖν propria quasi significatio videtur) velut canino more, in pulvere repentes, adorare. Sed absit, ut simili incurvatione debitam *Primogenito* nostro adorationem absolvi quis existimet! Angelis enim præcipitur, qui cum sint Spiritus civilem nemini possunt exhibere, & deferenda illi, qui *Primogenitus* ita est, ut sit ἀναξ πᾶσαν ὑπὲρ χθονῶν πολλὸν ἀρθεῖς, ὑπατός τε Θεῶν τε μάλ' ἔξοχος πάντων. Rex exaltatus supra omnes Deos, & ne quis *discitium* putet, Deus JEHOVA, neque alia ergo, quam Θεοπρεπής, Deo digna, & quæ debet. JEHOVÆ, religiosa: supremus supremo Ecclesiæ Domino etiam ab Angelis, & omnibus illis, debitus honos.

Habuit perpetuo Christus, (plus quam Sibyllæ folium recito) quosdam ex Angelis comites,

(o) *Nepos* in *Conone* cap. III. v. 3.

mites, &
stros. Ha
in Sina,
ne sua, a
delicto, i
passione,
iterum intr
omnia,
Nunc de
gloria, q
rat, qui
ut *Sanctus*
timor fan
clarato,
& Sacer
imperi
grava,
elatoqu
bria cor
senis sing
cies, bir
nis, vide
falses, ab
lum dom
miles se
et cum i
sua fura
lut in pul
ne defere
& cultus
poterant
verat cu
invisibilia
stam, &

mites, & operum suorum testes, atque ministros. Habuit in fundatione terræ, in descensu in Sina, in nativitate, priore illa introductione sua, a nativitate in Judæa, in Ægypto, in deserto, in toto vitæ decursu, in ipsa denique passione, & exitu ex *habitabili* habuit. Nunc iterum *introducitur*, & erectum supra omnes & omnia, omnes quotquot sunt adorare jubentur. Nunc denuo agnoscenda majestas, eminentia, gloria, quam habuerat a seculis, nunc receperat, qui *βραχυτι*, minor Angelis erat factus, etiam ut *Θεάνθρωπος*. Nunc præstanda reverentia & timor sanctus, ut *Primogenito* publice nunc declarato, & Mediatori, Capiti, Regi *habitabilis*, & Sacerdoti consummato, & hæredi plenum imperii jus capeßenti, quod vel *Jesaja* illud *ὄραμα*, simul Dominum videntis solio celso elatoque insidentem, cujus ipsum templum fimbriæ complebant, simul Seraphim adstantes, senis singulos alis instructos, quarum binis facies, binis pedes tegebant suos, volantes binis, videbatur innuere (p). Nunc submittendi fasces, abdicandum jus, & pædagogica in populum dominandi auctoritas. Nunc, ut illius humiles se subjiciant imperio, qui in provincia est cum imperio Archangelus, cui soli *habitabilis futura* subjicitur, res ipsa flagitat. Nunc velut in publico theatro constituto, divinus plane deferendus honor, & adoratio religiosa, & cultus omnis cum obsequio. Neque hi vel poterant, vel volebant illud detrectare. Noverant enim jam olim in cælis, in terra, *visibilia, invisibilia, thronos, dominia, imperia, omnia per Christum, & ad Christum condita*. Noverant suum hunc

E 2

(p) *Jes. VI. 1. 2. 3.*

hunc illi, ut creatorem, sic in veritate primigenia conservatorem, Angelorum, omnisque imperii ac potestatis caput, Angelum foederis & faciei, Archangelum Michaël, qui Dei instar, immo Deus ipse, & Princeps exercitus Dei, non creatus est. Videbant, qualem diu ante videre desideraverant, qui omnia complecteretur in unum, & quæ in caelis, & quæ in terra sunt. Videbant, introductum denuo in habitabilem, & evehendum ad dextram Patris, supra omne imperium longe, ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc, sed futuro etiam seculo. Ocyus ergo reurgentem illi excipere, & adstare sepulcro: ocyus reductum in orbem mulieribus & discipulis metu trepidis dicere: ocyus ascendenti adesse, & rediturum cum Angelis prædicare: ocyus thronum ejus stipare omnes, & adorare Regem Deum: ocyus imperio lati parere, facessere iussa.

Stupet animus ad tantam Primogeniti in habitabilem introducti gloriam, cui nulla Primogenitorum, nulla Augustorum in mundo gloria æquiparanda, ipsa Angelorum majestas subjecta cedit. Ουχ ἕτως ἐστὶν ὁ ἕρανὸς λαμπρὸς ὅταν ἀφῆ ταὶ ἀχτῖνας ὁ ἥλιος. Efferantur, quos prisca habuit Ecclesia, primogeniti: leves omnes umbræ, si cum Christo contendantur. Glorientur primogenituræ dignitate, quos Deus ex hominibus assumpsit in nomen. Sua Christus natura Primogenitus est, modo perfectissimo; hi in Christo, & per Christum hoc jure ex gratia, & impare gradu donati. Sit splendida Regum secularium in dominium ipsorum introductio:

Tempora phœbea lauro cingatur, ad alta

qui

qui Capitol

Victor ag

Prosternant

dent omni

lem introd

ipſi Angeli

potentissim

arctos inar

Eant

Oceanum

durandum

fronte ne

Uti ce

Recutit

quibus

per mo

Regi su

Eat q

qui in C

in orber

neque

adorari

infirmum

vendita

& velut

suo aff

rantes,

dio- fu

quinte

pes pr

introd

tenda

P A T

qui Capitolia

Victor agit currum, caesis insignis Achivis.

Prosternant se his victi, clientes, subditi, for-
dent omnia ista, si cum Christi in habitabi-
lem introductione conferas, cui omnia parent,
ipsi Angeli, tanti illi Heroes prosternuntur, vel
potentissimis eminentissimisque mortalium *ως*
αετος επανω νεφελων superiores.

Eant nunc ultra Sauromatas, & glaciale
Oceanum, qui *Primogenitum nostrum esse Deum,*
odorandum in secula, perficta etiamnum audent
fronte negare. Sapiant vel tandem,

Ut certe sapere est abjectis utile nugis,

Recutiti, & immorigeræ adhuc dum Gentes,
quibus *Primogenitus* ille ex *habitabili* subductus
per mortem *μωρια* usque & scandalum est, &
Regi suo certatim præsentent obsequia.

Eat quo dignus est, Capitolinus ille Jupiter,
qui in Christi hæreditatem involans, introducti
in orbem mille modis constupravit dignitatem,
neque Angelos modo, & Divos, & sculptilia
adorari præcipit, sed ipse inprimis, ut *caput*
hirsutum & hispidum sit, passim pro *Primogenito*
venditans sese, adorari ab omnibus contendit,
& velut ab orco emissus incendiarius perpetuo
suo afflatu efficit, ut unum Christum ado-
rantes, esse se semper per illum bombardæ-gla-
dio-fune-hasta-flammi-petitos, mille in locis
quiritentur. Eant illius hyperaspistæ, Princi-
pes præsertim viri, qui melibœum hunc suum ut
introducant & foveant, Christum expellunt, at-
tendantque, quod ipse, qui illum introduxit,
P A T E R, ipsis suggerit monitum:

*Reges nunc sapite terræ Principesque,
 Qui vasti imperium tenetis orbis,
 Nunc Deum veriti, colatis ultro,
 Et vestro pariter Deo exhibete,
 Mixtos lætitiæ & tremore cultus,
 Nunc amplexibus obvius receptum,
 Ipsius Filium, agite, fovete,
 Iram ne semel ejus asperetis,
 Quæ si vel semel arserit, necesse est,
 Vos mox funditus interire totos!*

Erubescant, qui in ipsa Ecclesia, quæ Christo
 Reformationis beneficio ad se reducto, purio-
 ris Religionis sacra proficitur, ut certe hic eti-
 am omnia

*In pejus ruere, & retro sublapsa referri
 vix quis negassit, Christum semel atque iterum in
 habitabilem esse introductum, nec lætantur vere,
 nec quo decet affectu adorant! Erubescant,
 qui vel vice ipsius, vel juxta cum ipso non Ro-
 mæ equidem novæ Numina, sed mundum ta-
 men, velut pulcherrimam aliquam Epheso-
 rum Dianam, sed mundi cupiditates, hono-
 res, commoda, prærogativas, sed Venerem &
 Bacchum, & Volupiam, & Plutum, & La-
 vernam, & Fraudem, & Discordiam, & Ca-
 lumniam, sed aliquod in mundo nomen, sed
 favorem & gratiam hominum, sed homines
 ipsos, per quos detur profilire in altum, sed se
 solos, sed robur, gloriam, sapientiam, vires,
 sed eruditionem, sed justitiam, pietatem, san-
 ctitatem, & dona, & scita, & placita sua ado-
 rant, & ut unus quisque, quod ipse reperit, aut
 solum*

solum aut
 li adorariq
 his veluti r
 tum Diis, a
 in habitabile
 nis Ecclesie
 cessant, qu
 rabilem ing
 fores etia
 tionibus
 cendi pru
 ambitione
 sma hodi
 stantium,
 Qui con
 lidiora s
 interver
 minicul
 tarum, F
 posthab
 Christum
 similia, p
 loquuntur
 ro studio
 rantur, i
 ramite,
 aduare
 antiquos
 pridem,
 nes, ad
 neutri P
 son ex i
 tamen, a
 cio. Fa

solum aut optimum ducit, ab aliis etiam colli adorarique flagitant. Euge faceſſant, qui his veluti totidem majorum & minorum Gentium Diis, ac Deabus, ac ſi numina eſſent a Deo *in habitabilem introducta*, & vel *Angelis adoranda*, in iſtis Eccleſiæ adytis incurvantur proſtrati. Faceſſant, qui iſti *Primogenito*, quo minus *in habitabilem* ingrediatur, vel in orbe progrediatur, fores etiam obducunt, qui *οικεμένην* rixis, contentionibus, livore, partium ſtudio, contradicendi prurigine, *κενοδοξία*, *φιλονεικία*, ſuperbia, ambitione miſcent, quibus ex fontibus triſtiſſima hodiernum Ephraimi & Manaffis, Proteſtantium, inquam, Eccleſiarum diſſidia gliſcunt. Qui conſilia vel pro *Primogeniti introductione* calidiora ſuggerunt, vel moderata etiam & ſana intervertunt. Qui præcipuis introducendi adminiculis, Linguarum, Philoſophiæ, Antiquitatum, Hiſtoriarum, iſtis S. Literarum ſtudiis poſthabitis, diſfluunt otio, & nil minus, quam Chriſtum, Chriſti verba, dictiones, ſententias, ſimilia, parabolas, argumenta, demonſtrationes, loquuntur. Qui vel rerum novarum immoderato ſtudio abrepti, nova omnia, & ſola illa mirantur, majorum, etiam ubi recto inceſſerunt tramite, veſtigia fugientes, vel per *ἀμετρίαν τῆς ἀνδολεχῆς* effuſa vetuſtatis reverentia, antiquos, antiquos ad ravim uſque clamant, & ad quas pridem, quaſi tempeſtate, delati ſunt opinionones, ad eas tanquam ad ſaxum adhæreſcunt, neutri *Plinii* illius ſapientiffimi imitatores, qui, *ſum ex iis*, dicebat, (q) *qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio.* Faceſſant, quotquot divina omnia ad hu-

E 4

ma-

(q) *Plinius* Epift. Lib. VI. ep. 21.

manam decempedam dimetiendi nimis quam sibi sumunt licentiam, & nihil, revelatum licet, credendum sine rationis calculo statuunt, vel merum verbum internum clamant, Fanatici; vel logis, gryphis, sermonibus involutis, gloriam Christi obtenebrant, Mystici. Quotquot exotica omnia præ patriis depereunt, eorum etiam orbi nostro scripta super-inducentes, qui ἀποσάντες τῆ κανόνος, καὶ ἐπὶ κίβδηλα καὶ νόθα διδάγματα μετεληλυθότες,

Astutam vapido servant sub pectore vulpem; (r)
 dogmata Christo, veritati, & gloriæ ipsius adversa spirant, fovent, disseminant, dogmata humanis viribus nimium quantum plaudentia, & gratiæ divinæ robori obliqua, & illam ultra, quam placuit Deo, (scilicet voluntatis, & beneplaciti, & decentiæ divinæ, eorum fabri modiperatores sunt) etiam ad damnatos, etiam ad Diabolos extendentia, & mille aliis modis hanc sacratissimam Religionis nostræ arcem, doctrinam de gratia Dei in *Primogenito* salutari, immo & alios fidei articulos, suggillantia, impugnantia. Faceffant, quotquot in Ecclesia, vel cognitionem sine pietate, vel pietatem sine cognitione, amant & clamant, praxin, praxin identidem vociferantes, morum sine fide fingendorum scitissimi artifices, parum de hujus cogitantes, parum fermocinantes capitibus, illi Gnosticorum veterum, hi Gnosimachorum æmuli male sani, pietatem absque cognitione & fide, nec veram, nec solidam, cognitionem sine pietate vanam, immo & damnabilem esse, parum memores. Faceffant denique, quotquot

(r) Perf. Sat. V. v. 117.

quot vel cognitionis, vel pietatis suæ incrementa, & suam a mundo secessionem, superciliose jactant (jactant vero multi, etiam cum minime secesserint) vel cognitionis & gratiæ auspicia & incrementa, locupletissima inter subsidia non quærunt, vel legitima secessione, quæ omnium est *Primogenitorum Dei*, susque deque habita, eam, cheu! a virtutum confinio separati, viti-
 tiorum autem obruti cœno, vitam vivunt, per quam Christus pellitur etiam, atque ipse *habitabilis* in desertum & domicilium ferarum convertitur. Hi inquam, faceffant, hi respiscant omnes, hi proni, si quæ tangit religio, si quis salutis amor, *Primogenitum a Patre introductum* quærant, & adorent omnes!

Si enim vel *Angelis* adorandus ille, quanto magis mortalium generi, cujus omnem gloriam unius Angeli splendor immane quantum offuscat? Non utique propter Angelos, sed propter homines *in habitabilem Primogenitus* semel atque iterum *introducitur* est. Non Angelos, sed Abrahami assumsit semên. Agite ergo, excutiamus soporem omnes, & grandiamus gressus, eundem illi cum Angelis præstatu-
 ri cultum. Cogitemus, quanta sit gloria, quam præcellens operæ pretium, hos simul præcessores sequi, simul Dominum gloriæ adorare. *Introducitur* augustissimus ille, & *iterum* quidem, post exantlatas mortis passiones, *in habitabilem*, & nihil in eo nunc humile, nihil vulgare, sed excelsa, ampla, divina se ostendunt omnia. Agite obviam tendamus victori,

Letique illius cantemus in orbe triumphos!

Nec abjecta & servilis ante conditio nos offen-



dat. sed splendida nunc, & gloria plena in admirationem venerabundos rapiat. *Introducitur redivivus*, qui caput est nostrum, & *Primogenitus ex mortuis*, inter multos fratres, Ecclesia daturus solatia. Videt ea nunc vivere *Primogenitum*, *Goëlem*, & redemptorem suum. Videt cum Deo se rediisse in gratiam, videt peccata deleta, legem impletam, chirographum extinctum, iram sedatam, justitiæ satisfactum, mortem devictam, ad resurrectionem ex morte, ad vitam æternam sese in hoc *Primogenito* sanctificatam. Nil igitur obstat, quo minus fratrum quisque Christi lætabundus exclamet:

Placato possum, non miser esse Deo!

Nil, quo minus quisque beatissimæ resurrectionis spe, omnem ex vitæ hujus miseriis, ipsaque morte mœrorem abstersurus, cantet, (s)

*Nosco meum in Christo corpus consurgere,
quid me*

*Desperare jubes? veniam, quibus ille re-
venit,*

*Calcata de morte viis, quod credimus hoc
est.*

Verumtamen, A. A. O. ne fratrum nobis Christi & jura, & titulos, nisi jure arrogemus, agite, nunc jam surgentem sequamur. Qui extincta capiti vivo membra aptant, qui mortuos *Primogenito* ex morte fratres, næ chimæram illi fingunt, quovis monstro monstrosiorem. Resurgamus ergo ex morte peccatorum, ad

(s) *Prudentius* Apoth. vers. 1131.

ad vitæ novitatem ! At quid hoc mortuis, ut furdo fabulam ! Immo ut nos suscitet, rogemus *Primogenitum* ex mortuis. *Introductus* ille nunc *in habitabilem*, ut habens jura *Primogeniti*, & consummatus Sacerdos, & publice, ne quis nesciat, declaratus hæres, & Rex noster, suam pridem adiit hæreditatem, suum pridem nunc occupat solium, suum pridem capeffivit regnum, & quæ ante ab orbe condito, nunc per omnes N. Testamenti ætates, gloriosius versavit scepra, in nostrum quoque orbem, per Evangelium, & salutiferam illam Ecclesiæ Reformationem introductus. Fruantur suo igitur genio, quibus volupe est, Reges terræ, eorumque *Primogenitos* exosculari. Nos hujus unius supra omnes & omnia eminentiam meditemur, meditati agnoscamus, agnitam profiteamur, professi exosculemur, in hoc uno Patris amorem, & gratiam, in hoc uno salutem, & redemptionem, in hoc justitiam, & sanctimoniam, in hoc amplissimas e cœlo benedictiones, in hoc privilegia filiorum Dei, ab hoc charismata Spiritus Sancti, & bonorum Novi Testamenti & hæreditatis plenæ, quæ neque marcescit, neque vel corrumpi, vel contaminari, vel interverti ulla calliditate potest, consortium, multa cum *πληροφορία* ambientes, expectantes, in illius sacrificio & sacerdotio uno insolidum acquiescentes, & arreptum per fidem de manu ipsius lytrum Patri offerentes, & hunc si exoraverimus nobis Oratorem, satis id esse in rem nostram credentes. Gaudeamus, tam præclaram *Primogenito* nostro cessisse hæreditatem, de qua ipsum illum magnifice audimus gloriantem, *funes ceciderunt mihi in amœnis* ; utique *hæreditas pulchra est mihi* ! Nosque in

eadem

eadem cerni, nos in ejus prosapia censeri, in primis bonis numeremus. Vah! quam hic, (t)

Quam pulcrum est digito monstrari, & dicier: Hi sunt!

Stemmata nil faciunt, nil prodest, Pontice, longo

Sanguine censeri, & pictos ostendere vultus Majorum!

Immensa autem fratrum Christi Primogeniti, & hæreditatis ipsius, & familiæ regiæ gloria est. Tantum ergo absit, ut Hæredi & Regi nostro nos subducamus ipsi, ut pulchra potius studeamus hæreditas esse, & prosapia in qua possit δοξαδοῦναι καὶ θαύματοῦναι. Tantum, ut quis nostrum more fratrum Josephi ogganniat, (u) *Tene unum regnaturum, & dominaturum nobis? ut jubilantes cum Ecclesia, Jehova iudex, sive vindex noster! Jehova legislator noster! Jehova Rex noster est!* faciles potius colla aureo submittamus scepro, totos ad Regis hujus nos voluntatem accommodaturi. Ne Deus id siverit, ut ad nos introductum nostra nos vel ἀναιδοῦσία, vel ἀμελεία, vel ἀπιστία, vel ἀχαριστία, socordia, tepore, torpore, securitate carnali, aliisque vitiis, cum Asiaticis illis coetibus, aliisque terræ habitatoribus pellamus. Quin potius ut magis etiam ac magis in orbem nostrum, immo vero ad alios etiam, qui πόρρω adhuc, introducatur, adhibeamus Severi illud Imperatoris L A B O R E M U S!

Eja!

(t) Persius Sat. I. vers. 28. & Juvenalis Sat. VIII. vers. 1.

(x) Gen. XXXVII. 8. & Jes. XXXIII. 22.

*Eja! caput Portæ sublime attollite, Portæ
Caput perennes tollite!*

*Ingenti ut pateant ingentia limina Regi,
Summæque pleno gloriæ.*

*Quis cedo Rex hic est tantus? magnusque
potensque,
Fortisque bellorum Deus.*

*Eja caput Portæ sublime attollite, Portæ
Caput perennes tollite!*

*Ingenti ut pateant ingentia limina Regi
Summæque pleno gloriæ.*

*Quis porro tantus Rex hic est? Armipo-
tens Rex,*

Rex plenus hic est gloriæ. (x)

Pandite ante omnes, Vos *Viri Principes*, pandite *Primogenito* huic nostro fores, atque ita contendite, & enitimini commissum vobis populum ad ipsius obsequia, edictis, vigiliis, curis, consiliis, & magnis inprimis exemplis adducere, ita, quæ ad ampliorem Christi in habitabilem introductionem pertinent, procurare, ita scandala, & impedimenta illius omnia excindere, ita dogmata subærata, ne in orbem nostrum subrepant, prohibere, ita sacratissimæ Religionis nostræ hostibus vos mascule opponere, ita Patriæ Patres, ita Ecclesiæ Scholæque Curatores, & Nutritios vos præstare, ut titulos Magistratus pii, & boni, & prudentis, & fortis, nulla vobis non tribuat ætas! Nos etiam *Primogeniti* nostri in tentoriis ipsius *Ministri*,
positis

(x) Psal. XXIV. 7.



positis omnibus, per quæ incrementa regni Christi præpediuntur, diurnis nocturnisque chartis impallescentes, huc meditationes & scientias omnes aurigemus, huc studiis, conatibus, votis, atque iterum, quod potentius omnibus, exemplis, suo quisque ordine & loco allaboremus, ut valvæ Christo, quam datur, latissime aperiantur, ut subditi, domestici, fratres ipsi fingantur quam multi, & habitabilem nostrum, juncta cum cognitione virtus, juncta cum pietate eruditio occupet, sed vera & sincera pietas, sed solida & sapiens eruditio, eruditio quæ nos ducat ad Deum, pietas quæ sit prudens & oculata, ejusque Ecclesia & Schola nostra sint magistræ, *vulpes autem & vulpecula, corrumpentes Dei peculium captentur, lupi vineam vastantes arceantur.* Et vos Naziræi nostri, huc vires, huc desideria, huc cogitationes omnes intendite, ut & vos apti aliquando fiatis, per quos Jesus *introducatur in orbem, introductus retineatur, retentus adoretur.* Eja parate vos mature ad tanta hæc, & tam sacra munia. Nunc jam conquirite linguarum, Philosophiæ, Historiarum, Antiquitatum, Theologiæ, ea vobis subsidia, sine quibus salutariter in vestro munere versari non poteritis, offerite primitias jam vestras Christo. Ut primitiæ, vituli agnique anniculi festo Pentecostes, & sub anni auspiciis, Deo quondam offerri sueverant, *Primogeniti* inprimis consecrati fuerunt; ita eidem vos addictos, & segregatos, non verbis profiteamini, sed factis etiam testamini: nec Veneri & Baccho, sed Christo, Patriæ, Ecclesiæ, Musis litate, nunquam nigro vos pallio inquinamenta vestra obducturos, sed id potius in animum inducentes,

Πάντες

Πάντες
Quod P
in Deus
(7) Nos
mi, min
quotqu
nogeniti
mus no
ut tales
oportet
habeat
peregrin

Tis,

Conte
amor
non a
nere.
profanu
puro
sed affe
tualem
religio
nare,
ferre.
moren
sortio,
peccat
que P
pore
sis neq

(7)
(8)

Πάντα ἰδεῖν Διὸς ὀφθαλμὸν καὶ πάντα νοῆσαι,
 Quod *Plautinis* verbis licebit reddere, est profecto
 Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt!
 (γ) Nos quotquot sumus, maximi, medioximi,
 minimi, rogati, sagati, stolati, paludati,
 quotquot filiorum DEI, & fratrum Christi *Primogeniti*,
 immo & *Primogenitorum* in Christo, gerimus
 nomenque decusque, id agamus omnes,
 ut tales in omni cultu nos præstemus, quales
 oportet, & haberi nos poscimus, ne quis opus
 habeat interrogare, ut *Homericus* ille hospes
 peregrinum,

Τὶς, πόθεν εἰ ἀνδρῶν, πόθεν τοι πόλις, ἢ δὲ
 τοκῆς;

Contendamus in Christi ut cognitione, ita &
 amore proficere, & personam, quæ exteros
 non absterreat, sed invitet, alliciatque, susti-
 nere. Ne quæso, ne quis sit inter nos βέβηλος,
 profanus ut *Esau*, qui ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ
 πρωτοτόκια αὐτοῦ. (ζ) Ne contemtim conteramus,
 sed affectemus potius *Primogenituram* illam spiri-
 tualem, per quam cives coeli constituimur. Sit
 religio terræ glebam Olympo, lentes *primoge-
 nitura*, tantisque in Christo prærogativis ante-
 ferre. Immo his ut frui detur, separemus in
 morem *Primogenitorum* nos a pravo mundi con-
 sortio, a communi hominum vivendi ritu, &
 peccatorum contubernio, & totos Deo ejus-
 que *Primogenito* ita mancipemus, ut vere simus
 γένος ἐκλεκτόν, βασιλικὸν ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς
 εἰς περιποίησιν, sancti illi in terra, & gloriosi, in qui-
 bus

(γ) *Plautus* in *Capt.* A. II. Sc. II. v. 63.

(ζ) *Hebr.* XII. 16.



bus omnis Jehovæ voluptas sit (a) Contendamus, qua licet, ad pristinum illum *Primogenitorum* in Ecclesia primitiva vigorem; & ut tales, offeramus Deo, quæ de manu ipsius accepimus, nobilissima quæque, præstantissima quæque, optima & optatissima quæque. Offeramus vires, gloriam, robur, sapientiam, eruditionem, fidem, vitam, juventutem, animam, corpus, linguam, partes omnes, & nos ipsos denique totos!

Ita annitatur, ut *habitabilis* semper sit orbis noster, non domicilium ferarum, hominum impurorum, sceleratorum, infidelium, non desertum, non mare, sed campus spaciosissimus, in quo lilia & flores, ubere proventu germinent. Ita ut per nos etiam *Christus* in orbem magis, ac magis *introducatur*. Ita *introducitur* in orbem, quod præceptum audivimus Angelis, præstarique ab Angelis, per omnem illum vitam nostram veneremur. Ita qui debetur Deo, qui Redemptori, qui *Primogenito*, qui Regi, & hæredi *in habitabilem introduçto*, & latius etiam *introducendo*, exhibeamus cultum: ita vel eminentissimi ipsius submittant imperio fasces: ita ipsius cantemus *ὕπεροχὴν*, excellentiam, laudes, merita, amorem, victoriam. Ita illum revereamur, ita amemus, ita exosculemur, ita loquentis pareamus voci, & faciamus imperata. Ita quam maxime elato quam maxime humiliemur, quam maximum delaturi honorem. Ita stimulos alii aliis subjiciamus, & curramus, stimulati ab aliis.

Δεῦτ'

(a) Psal. XVI. 6.

Δεῦτ' ἄγειτ' Ἐν ἱκέται ἀζώμεθα παμβασιλῆα,
 Προπροκυλιθόμενοι καὶ προσπίπτωμεν ἀνακτι,

*Eja hunc igitur corpore proni,
 Eja hunc igitur poplite curvi,
 Cujus munere quod sumus, hoc sumus,
 Veneremur, adoremus supplices! (b)*

Id ē, o nos tum felices ter & amplius! feliciores ipsis Persarum Regibus, & purpuratis Sarrapis, trabeatisque Romuli nepotibus, Dei filios, Christi que fratres, & in illo *Primogenitos* ὀδρωτάτους. Tum sane eundem cum illo amplexabimur & Deum nostrum, & Patrem nostrum, sua nos ante omnes alios benevolentia porro complexurum. Tum ipsius peculium, tum sancti & consecrati Deo, tum per Christum redempti, & ab Angelo percussore vindicati, illius sanctitatis, justitiæ, obedientiæ, vitæ, mortis, meriti, beatitudinis participes erimus. Tum omnia *Primogenitorum jura, & prerogativas* maximas obtinebimus. Tum veluti Reges & Principes hostibus dominabimur, & mundo ad plantas pedum nostrorum sese incurvaturus, & spiritui nostro, quæ præclarissima certe victoria, & animarum hostibus, Diabolo semper paratissimo, & figuli rota versatiliori, & mundi carnisque illecebris, & ipsi denique morti dominabimur. Tum omnis & plenissima *Primogeniti nostri* in utraque Ecclesia gloriæ spectatores erimus. Tum ipsi *geminam* illam & cœli & terræ *hereditatem* capiemus, hæredes omnium, quæ *introducitur* ille in habitabilem intulit,

F

tulit,

(b) Psalm. XIV. 6.

tulit, N. Testamenti bonorum, hæredes gratiæ & gloriæ nunquam finiendæ. Tum veluti Sacerdotes, & familiarioris accessus amici, nemine nos arcente, cum omni παρρησία accedemus ad Deum, oblaturi sacrificia & preces, quibus nunquam se non præbeat exorabilem.

Quin igitur ad hanc nos felicitatem capessendam nos accingimus quotidie, & vel nunc, sub hoc exitu (canendum enim vel tandem receptrui, AA. O. ut quem loquentem fastidiosus, ut vereor, auribus sustinivistis diu, tacentem majori cum delectatione videatis) non in Capitolium cum Scipione Africano, sed ad Sanctum Sanctorum, non Diis, sed DEO supplicaturi imus!

Immo vero tibi, æterne Genitor, maximas nunc gratias agimus, majores etiam habemus, tibi nos totos semper debitori, quod *Primogenitum in habitabilem iterum introduxisti*, ita illum consummatum Pontificem, Hæredem, Principem, Regem, vel Angelis adorandum publice declarans, ita nostram nobis salutem obsignans. Tu modo ut pari illum cum nobilissimis hisce Geniis affectu veneremur, *da nobis quod jubes, & jube quod vis, ne frustra jusseris.* Et tu salve, *Primogenite Patris,*

Christe Deus, sobolesque Dei, quem nulla creavit

Dextra Deum, potuitque Deus gemuisse sed æqua Majestate parem!

Salve e tenebrarum abditis antris *in habitabilem redux*, vindex libertatis, Sacerdos, Hæres, & Prin-

Principes
Te amplex
mur p
bi ipsa ad
calum,
quo polle
k, qui n
stabilem ex
deinceps
te in habi
igitur ne
seramus
nogenitur
mantinc
Ingre

Serya E
lam Ma
nuit, ei
in habit
noës exc
plus ult
abitatio
epoque
quam ir
ve per a
nogenitar
biti just
bitatis,
sua & Sci
tis, ch
tua; f
in que
sed ia
res at

Princeps noster ! Imperator augustissime salve !
 Te amplexamur , te veneramur , tibi incurva-
 mur prostrati . Tibi laus , tibi cultus omnis , ti-
 bi ipsa adoratio debetur . En tuum nos tibi pe-
 culium , hæreditatem , familiam . Tu nos ipse,
 quo polles jure , tibi vindica , tu asserere , subige,
 & , qui redemisti , segrega , sanctifica , *in habi-
 tabilem* ex peccatorum cavernis revoca , & solus
 deinceps in nos exerce imperium ! Introduxit
 te *in habitabilem* , nostrum etiam , PATER . Tu
 igitur ne hunc desere unquam , & nos , ne de-
 seramus te , quaque per te sumus sortiti *Primo-
 genituram* profundamus , tibi nexu velut ada-
 mantino junge ! Immo magis etiam ac magis

Ingredere o nostris Dux invictissime terris !

Serva Ecclesiam Reformatam blandissimam il-
 lam Matrem , quæ nos tibi filios fratresque ge-
 nuit , eique hoc esse proprium jube , ut semper
 sit *habitabilis* & *foecunda* : semper in ea He-
 roës excita , respice , tuere , per quos in *orbem*
 plus ultra *introducaris* , & qui pro gloria , ac
 habitationibus tuis agant excubias ! Fac nostra
 quoque terra sit *habitabilis* perpetim , neque un-
 quam in stagnum , aut mare , aut desertum , ne-
 ve per averni Alastoras , neve per mortis *Primo-
 genitum* convertatur ! *Respublica* nostra *habita-
 bilis* justitiæ , fortitudinis , prudentiæ , sit pro-
 bitatis , integritatis , sit juris & æqui ; sit *Eccle-
 sia* & *Schola* fidei , pietatis , eruditionis , verita-
 tis , charitatis , concordix & zeli pro gloria
 tua ; sit *totus orbis* noster *habitabilis* *Primogeniti* ,
 in quo prisco more , non magna loquantur ,
 sed faciant Christiani ! Tu porro *Reip. Proce-
 res* amplissimos salvos præsta & incolumes !

Tu illis dux, tu vita, tu lumen illis, tu omnia esto. Tu ea, qua omnes omnium bonorum laudes mereantur, mente & animo illos semper imperti. Ipse eorum consilia omnia, ut tuæ in orbem introductioni, ut Reipublicæ, Patriæ, Ecclesiæ, Scholæ sint salutaria, dirige, & ad exitus felices provehe. Tu *Ecclesiæ*, & *Scholæ Ministros* favoribus tuis accumula. Mystica sunt animalia Merchavæ Ezechielis, trahendo curru, & throno gloriæ tuæ adjudata: Tu Spiritu sapientiæ illos etiam imple: imple oculis intus & extus, fervore zeli ignitis, ut indefessi gloriæ tuæ, operique Ministerii peragundo feliciter invigilent. Da junctis Ordinis utriusque consiliis & conatibus, omnis tandem *victa fatiscat*

Barbaries, morsura suas irata catenas!

Tu ad sanctuarium quoque tuum hinc inde desertum desolatamque redi! Miserere Ecclesiæ, non digna passim ferentis! Miserere Sionis, & ædifica illam ut habitetur, destrue superbos & efferatos latifundiorum tuorum destructores, eversores. Excute usurpatorem nequissimum, qui furtivas hæreditati tuæ admovit manus. Tu quoque stagna, & maria, & deserta Christianorum, Judæorum, Gentium etiamnum inculta, sterilia, horrida, in *habitabilem* converte, & Spiritus verbique fluentis inunda, ut fructus illic justitiæ uberrime crescant. Tu in omnes tandem aliquando terras ingredi hæs, & Rex omnium, & cum *gloria Primogeniti* appare, ut nomen tuum ab Occidente, & majestas tua ab Oriente timeatur, omnesque gentes, quas fecisti, veniant, coram facie tua sese prosternant, & nomen tuum glorificent. Denique,

Cum

*Cum suprema dies perituro illuxerit orbi,
 qua nubibus è caelo vectus ad iudicium illud
 decretorium redibis, ex sepulcris in habitabilem
 reductos nos, fratres & cohæredes tuos, in ip-
 sum Patris palatium, ad myriadas Angelorum,
 & primogenitorum in caelis conscriptorum,
 introducas, quæsumus, ut te Primogenitum no-
 strum & Regem, cum iis perpetim adoremus:*

*Nam tua majestas, decus, imperiumque
 perenne,*

Gloriaque, & niveis victoria concolor alis:

Et quidquid tellus, quidquid spirabile caelum

*Continet, omne tuum est, rerum tibi summa
 potestas:*

*Tecum honor, & laudes, letoque opulencia
 vultu:*

Imperiumque tuum Divos supereminet omnes!

DIXI.

JOANNIS MULLERI

Historiæ Ecclesiasticæ & Theologiæ Ca-
techetiçæ, posthac Theologiæ Pro-
fessoris Celeberrimi,

DISSERTATIO *

De erroribus historicis circa passionem
Jesu Christi.

Cui subjunçta est

Celeb. hujus Viri Vitæ Historia,

per

JOH. ROD. RHANIUM

adornata.

Argumentum totius Dissertationis.

§. I. *Scriptores Θεόπνευστοι veritatem, quæ prima historiæ lex est, ubi vis sunt secuti. §. II. Huic legi reliquorum Historicorum pauci ex omni parte satisfecerunt. §. III. Historiarum*

* Isthanc quam luci exponimus Celeb. Viri dissertationem, vel si mavis orationem, ex Auctoris autographo, quod benevole nobis communicavit
Vir

rum in Divinis Pandectis contentarum veritatem multi impugnant, cujus rei Dominicae passionis historia exemplo est. §. IV. Historiae hujus veritatem, contra Paganos, Muhammedanos & Judæos, Christianorum etiam παρρησιας, praesens vindicabit dissertatio. §. V. De Gentilium adversus Christi crucem convitiis. §. VI. De Muhammedanorum Christi mortem negantium calumniis. §. VII. Eorum errori occasionem dederunt veteres Haeretici Saturninus & Basilides, Simonem Cyrenæum Christi vice cruci affixum esse nugati. §. VIII. An Simon iste partem duntaxat posteriorem Dominicae crucis, an vero crucem portaverit integram? §. IX. Judæorum circa Dominicae passionis historiam ἀνισογενείαι. §. X. Jesum qui in Talmude convitiis oneratur a nostro Jesu Salvatore diversum esse, frustra Judæi & ex Christianis quidam

F 4

dam

Vir Venerandus Joh. Rodolphus Mullerus, Ecclesiae Vitoduranæ Pastor dignissimus, descriptissimus haetenus ineditam. Recitata fuit in Auditorio Aequatico IV. ante Nonas Aprilis Anni MDCLIX. De ea in literis ad Magnum Heideggerum, Heidelbergæ tunc degentem, datis hæc commemorat, nuperrime orationem Paschalem de historicis circa passionem Dominicam Gentilium, Muhammedanorum, Judæorum & Christianorum quorundam erroribus habui, blasphemias quas dicunt positivas silentio oppressi, erroneas opiniones pro tenuitatis meæ viri-

dam contendunt. §. XI. Judæorum in designando crucifixionis Christi anno anachronismus. §. XII. Christianorum in re eadem dissensus. §. XIII. Metachronismus Irenæi Servatorem anno ætatis quadragesimum inter & quinquagesimum muneri prophætico vacasse tradentis. §. XIV. Eorum qui Christum quadragesimum sextum ætatis annum attigisse volunt hallucinationes. §. XV. Valentinianorū aliorumque Hæreticorum, Christum anno ætatis tricesimo, aut tricesimo primo rebus humanis exemptum esse opinantium, prochronismus. §. XVI. In eundem errorem Patres nonnullos incidisse ostenditur. §. XVII. & XVIII. His adstipulantur ex recentioribus Viri quidam Eruditissimi, Christum anno ætatis tricesimo primo passum fuisse existimantes. §. XIX. Epiphaniū & aliorum Christi crucifixionem in annum ætatis ejus tricesimum secundum incidisse statuentium, prochronismus. §. XX. Guil. Atabastri hallucinationes. §. XXI. Chri-

viribus solide & modeste refutavi, apologiam de pravorum colloquiorum & exercitiorum Academicorum discrimine subjunxi, a variis suspicionibus me purgavi. Nec tamen desunt, qui dente Theonino actionem illam meam rodunt. Male præsertim illos habet, quod Muhammedanos Christi crucifixionem negare dixerim. Enimvero juvenibus Studiosis in *Analysi Catechetica* idem proponitur. Sed facile hanc injuriam patior, Christi hoc ipso in casu memor. Sufficit discipulo si eadem cum Magistro fortuna utatur. Hæc ille. J. R. R.

Christum anno ætatis tricesimo tertio cruci
fuisse affixum negatur. §. XXII. Verosimi-
lius est anno tricesimo quinto. §. XXIII.
De passionis Dominicæ die. Christum Judæo-
rum Pascha anticipasse negatur. §. XXIV.
De ejusdem passionis hora Marci & Joan-
nis dissensus. §. XXV. Diversa diversorum
in hoc dissensu animi intentio. §. XXVI.
Judæorum de loco passionis Christi fabulæ.
§. XXVII. Eorundem de Messie in carce-
rem conjecti examine mendacia. §. XXVIII.
Eorundem de præcone ad patrocinium ejus in-
vitante nugæ. §. XXIX. Salvatorem inte-
gram septimanam in vinculis fuisse negatur.
§. XXX. Christum lapidatum fuisse Talmu-
distæ mentiuntur. De Judæorum ad Pila-
tum verbis εν ἐξεσω ἀποκλείουαι ἡμῶν εὐδὲνα.
§. XXXI. Ad alteram tractationis partem
quæ pertinent paucis perstringuntur. §.
XXXII. Dissertationis hujus usus. §.
XXXIII. Ejusdem contra malevolorum vo-
ces & calumnias defensio. §. XXXIV.
Conclusio.

§. I.

Prima, inquit eloquentissimus Romano-
rum Consul, consultissimusque Orator
CICERO (a) Prima est historiæ lex, ne quid
falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat,
ne

F 5

(a) Cicero de Orat. Lib. II. cap. XV.

ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua similitatis. Primam hanc historiarum legem secuti sunt Historiographi θεόπνευστοι, fallere & falli nescii, in sacratissimo veteris novique Fœderis Instrumento, Amanuenses Spiritus Sancti, qui veritas est, cujus verbum veritas, quique Prophetis, Evangelistis & Apostolis in omnem veritatem dux via fuit. (b) Omnes igitur pudoris pietatisque transfiliunt limites, nec a læsæ Majestatis Divinæ sese purgare crimine possunt, qui S. Scripturam non sub cæcæ tantum hominum, qui in divinis turpiter hallucinantur, mentis incudem, sed & Carneadis, qui de rebus dubitasse dicitur omnibus, paludem revocare non verentur, Dei sanctorumque Dei virorum effata rident & rodunt. Hos qui Atheismi aspergit suspicione, nullam illis injuriam facit, ipsi namque cum stultis, pariter stulti, in corde suo dicunt non est Deus. Quod si semel S. Literarum rumpantur repagula, limites hi ἀμετακίνητοι semel si mutantur, e vestigio Cerberus infernalis suos exhalare fatagit impostores, qui quod proprio adlubescit ingenio obtrudunt, pomum ἐπίδοσ spargunt, ἀμύλια μινύειν in votis habent: adversus quamlibet interim apostygicæ astutiæ & argutiæ procellam, intrepida verbi Divini veritas perstat.

§. II.

Verum enimvero ab ἀνυπευθύνους hisce Curia Divinæ Historicis si discesseris, qui primæ Historiarum legi, quam veritatem diximus, fatis ex omni parte fecerint, in universo Historicorum choro si ullos, oppido sane paucos
repe-

(b) Joh. XVI. 13.

reperies. Sint qui ἀξιοπίστοι, qui πολλῶν ἀντάξιοι
 ἄλλων, tam probi ut nunquam mentiantur, tam
 vero non sunt omnes & semper prudentes, ut a
 nullis unquam rumoribus conjecturisque vanis
 imponi sibi sinant. Sub eorum autem, qui ἀν-
 θερανας ἀντι θησαυρῶν imperitioribus, fabularum
 fumos credulis vendunt, mole mundus tantum
 non fatiscit. Hinc non quidem de Historia,
 quam nullus vel Momus vel Aristarchus carpere
 aut admordere ausit, sed de Historicis tot que-
 rulæ Mortalium voces. Nisi ἐπιστόμιον ori no-
 stro exordii leges injicerent, *Aventini, Baronii,*
Agrippæ, Boxhornii, aliorum verba recitarem.

§. III.

Nec in rebus duntaxat humanis, quæ non-
 nisi humana, cui falsum subesse facile potest,
 fide nituntur, pro lubitu sæpe ludunt, sacrilegis
 manibus cuncta dilacerant & discerpunt, sed
 scelestis etiam unguibus in ea involant, quæ sa-
 cer sacrarum Literarum contextus extra om-
 nem dubitandi aleam ponit. Quod ne dixisse
 magis quam probasse videar, unum διὰ βραχέων
 ob oculos posuisse exemplum sufficiat. Tri-
 stissimam omnium suavissimamque Dominicæ
 Passionis historiam, stylo & filo Spiritus San-
 cti in sacra Pagina non tam delineatam quam
 vivis expressam habemus coloribus. Contra
 hanc autem Evangelicæ Historiæ veritatem, ho-
 mines profani horrenda mendacia effutiunt
 magis quam effundunt. Alii qui Philologorum
 nomine superbiunt, ventosa sæpe animi levi-
 tate ducti, vana gloria ac ambitione tumidi,
 cerebri sui idola aliis adoranda proponunt.
 Alii pii cætera Viri, ut verbis utar *Baronii,*

(c) ex

(c) ex devota meditatione ac contemplatione potius, quam ex historica antiqua veraque ratione, non pauca μετὰ πολλῆς φαντασίας edifficunt, quorum postea meditationes φιλόκωνοι καὶ φιλόκωνοι pro historica plerumque assertione accipiunt.

§. IV.

Horum imprudentiam, illorum licentiam, istorum impudentiam, salva tamen omnium, quibus quidem illa debetur, auctoritate, in solenni hac Panegyri δεατριζων, stylo quam fieri licet mansueto & theologico, si perstrinxero, veritatisque Historicæ Passionis Christi defendendæ omnes pro infirmitate mea vires impendero, forte nec in temporis quod meditationibus hujuscemodi consecratum circumstantias, (d) nec in Auditorum, quos non plebejos sed in omni scibili tum exercitatos tum exercendos suspicio, confessum, nec in loci, qui non tam practicis quam theoreticis destinatur exercitiis, dignitatem, nec in meam, cui Historica est de mandata Professio, personam peccabo. *Tu dulcissime Jesu, quem crucifixum etiam ac mortuum adoramus, mentem dirige, aberrantem corrige. Da ut in Hereticorum aliorumque de Passionis tuæ Historiam minus recte sentientium castris non transfuga sed exploratores simus, falsas aliorum opiniones non imbibamus sed exspuamus. Sit omnis homo mendax & verbum tuum veritas.* Hujus autem tractationis difficilius est exitum quam principium invenire, nec mihi tam copia quam modus est quærendus. Atque ut suis meditatio nostra circumscribatur

can.

(c) Baronius in Annal. ad ann. Christi 34.


(d) Erat enim Parasceve Paschatis cum hæc publice recitaretur dissertatio.

cancellis, omnium primo nigrum præfigemus
 Θῆτα mendaciis quibus Historicam Passionis
 Dominicæ veritatem reddere suspectam ne-
 quicquam conantur illi, qui Christo penitus
 cassi, eoque a salutis via toto cœlo aberrantes,
 profundo rerum Divinarum veterno exitialiter
 sepulti sunt, tactis subinde aliorum in eadem
 materia nævis. Secundo postea loco halluci-
 nationum opinionumque discutiendi essent fu-
 mi, quos Historiarum veritati offundunt non-
 nisi illi qui Christiano nomine, sive per rapi-
 nam sive per justum titulum, gaudent. Gen-
 tes quæ Christianorum nomen abhorrent, quæs-
 que primam dissertationis nostræ exorsuri par-
 tem, & theologice & ecclesiastice, ut in Scho-
 lis loquuntur, infideles vocamus, vel Pagani,
 vel Muhammedani, vel Talmudistæ hac nostra
 ætate sunt.

S. V.

Quibus superstitiosa olim Gentilium cater-
 va convitiis Christum & Christianos onerave-
 rint, nemo nisi qui Antiquitatem penitus om-
 nem ignorat. (e) Si γλαῦκας εἰς Ἀθήνας ferre li-
 ceret, ex multis SEPT. FLOR. TERTULLIA-
 NUM, Carthaginensem seculi a partu virgineo
 tertii Presbyterum, in Apologeticis adversus
 Gentes, de ἀσπόνδῳ Gentium quo Christianam
 religionem prosequuntur odio, de diabolico
 calumniandi impetu queritantem in apricum pro-

(e) Præter Tertullianum, Justinum Martyrem,
 Theodoretum, Minucium Felicem, alios plures, ea de
 re imprimis evolvi meretur, eruditissimus Clar. Kor-
 tholti tractatus, Paganus obtrectator seu de calumniis
 Paganorum in Christianos, primum Rostochii an.
 1663. dein auctior Kilonii an. 1698. editus.



proferrem. De cruce Christi quid senserint, naso adunco illam qui suspenderint, hisce Gentium Doctor & Ductor commemorat verbis, κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσαυρωμένον, Ἰσδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἑλλήσι δὲ μωρίαν, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam. Quibus vero μωροσόφοις itidem Paulinum illud occinimus, τὸ μωρὸν τῶ Θεῷ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν, stultitia Dei, quam vos quidem profana mente putatis, hominibus sapientior est. I. Cor. I. 23. 25. (f)

§.VI.

(f) Est inter convitia quibus Gentiles Christianos profciderunt, hoc non minimum, ut *Crucicolas* eos cognominarent, iisque opprobrio verterent quod crucifixum adorarent. Eleganter ea de re *Athanasius* in Orat. contra Gentes p. 1. διαβάλλοντες ἑλληνες χλευάζουσι, καὶ πλατὺ γελῶσι κατ' ἡμῶν, εἰδὲν ἕτερον ἢ τὸν σαυρὸν τῷ Χριστῷ προφέροντες. Ἐφ' ᾧ μάλιστα καὶ τὴν ἀναιδοθησίαν αὐτῶν οἰκλειρήσειεν ἂν τις, ὅτι τὸν σαυρὸν διαβάλλοντες, εἶχ' ὀρώσι τὴν τάδε δύναμιν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην πεπληρωκυῖαν, καὶ ὅτι δι' αὐτῶ τὰ τῆς Θεογνωσίας ἔργα πᾶσι πεφανέρωται, *Gentiles variis nos vellicant calumniis & profusis cachinnis irrident, nihil aliud nobis objicientes quam Christi crucem. Qua quidem in re illorum stupiditatem maxime miserari convenit, quod scilicet dum cruci insultant, ejusdem virtute totum orbem terrarum repleti, & per eam Divina cognitionis opera omnibus fuisse patefacta non videant.* Adde *Lactantium* instit. Lib. IV. cap. 16. *Isidorum Pelusiotam* Epist. Lib. IV. Epist. 29. *Eusebium* de vita Constantini Lib. III. c. 1. & in primis *Cel. Buddei* Dissert. de veritate Christianæ religionis Philosophorum Gentilium obrectationibus confirmata.

§. VI.

Quin Muhammedani, a Muhammede Antichristo Orientali (qui una cum Antichristo Occidentali caput exserturus, post annum a Christo nato sexcentessimum (g), mercaturæ primum operam dedit, Epilepticus deinde celare morbum adnitens, divinas comminisci ecstases, Angelicas fingere apparitiones, insomnia ac entusiasmos cœpit) nomen indepti, honeste quandoque de Salvatore nostro loquantur, inficias imus nulli. Scilicet non dubitant Muhammedani Sospitorem nostrum appellare אלפשיח עיסי אבן מרים *Christum Jesum filium Mariae & quidem ex virgine natum, כלמת* *אללה Verbum Dei, קול אלחק, sermonem verum,* *רשול אללה, Apostolum Dei, רוח אללה, Spiritum Dei, Prophetam piæ memoriæ, illustrem, spectabilem,* quem Deus miserit, ut Majestatis Divinæ esset præco, pravitatis humanæ corrector, justitiæ doctor, Evangelii promulgator, qui cœlitus Evangelium, ut Moses Legem, ut David Psalterium, acceperit, miraculis insuper inclaruerit. (b) Verum Antichristiana hæc & deterrima

(g) Muhammedis nativitatem, vitam, res gestas &c. præter *Henr. Hottingerum* in *Historia Orientali*, & *Ludov. Marraccium* in prodromo ad refutationem Alcorani, prolixè atque erudite descripserunt Viri in orbe literato Cœberrimi *Illustr. Comes de Boulainvilliers*, & imprimis *Jo. Gagnerius* Linguarum Orientalium, quarum est callentissimus, in *Oxoniensi Academia Professor*.

(b) Conferantur *Mullerus* noster in *Dissert. de nomine Jesu & Jesuitarum*, *Henr. Hottingerus* in *Hist. Orient.*

ma Ditis bestia suos celare unguis nequit, quibus Christum de Divinitatis suæ throno detrudere conatur. (i) Hinc Muhammedis incocti deliriis ac blasphemis, cum Naturæ Divinæ Unitatem minime servari falso arbitrentur, si Christus etiam Deus esse credatur, toties tritum illud, cum in aliis scriptis, tum in Alcorano ad rayim usque inculcant, לא אלה אלא אלה, מחמד רישול אלה, non est Deus, nisi Deus Muhammedis Apostoli Dei. Quis vero credat lurconem illum popinonemque Muhammedem, quem si nebulonem & Laltaurum appellabis modestiæ leges neutiquam violabis, vita scriptisque monstrosum, cum affectis adeo perfricare frontem audere, ut rem longe manifestissimam, Christi scilicet, de qua agimus, mortem inficiari non erubescant, sed vivum in coelos, sine mortis interventu, sublatum clamitent. (k) Mendacium

Orient. p. 153 - 161 & Thef. Philol. p. 163. *Warneri* compendium Muhammed. p. 1 - 15. *Marraccius* prodr. ad refut. Alcorani parte 3. p. 61. & in refutatione ipsa p. 116. 117. & *Relandus* de Relig. Muhammed. Lib. I. p. 25. & p. 42. Adde *Eisenmengerum* in Judaismo detecto T. 1. p. 220 - 227.

(i) Hoc fere unum molitus est Satanas, ut quod per Arium minus ex voto successerat per Muhammedem efficeret, & Christo Divinitatis gloriam auferret. Quibus vero argumentis eam impugnent Muhammedani, vide apud *Marraccium* part. 3. prodr. ad refut. Alcor. p. 32 - 63. & in refut. ipsa p. 195 - 221. Adde *Hottingerum* Hist. Orient. Lib. II. c. 3.

(k) Plura tum ex Alcorano ipso, tum ex Scripturis Arabicis aliis, huc pertinentia loca adducit, simulque putidum isthoc figmentum refellit, modo nominata-

cium ho
dixisse fa
ur indra
cifica
que illi
prellisse
stimante
Maham
lei, nos
legatum
runt, et
sio qui a
Non era
sunt opin
delevit
Cui su
illam g
nugas
si exam
Impos
Numq
minide
rano t
rection

minatu
refutat
rom l.
(1)
(m
PVEN
die d
ibid
ri f

cium hoc τετραπικρυ incrustaturi, Christum suis dixisse fabulantur sociis, cui vestrum placet, ut induatur imagine mea, & occidatur ac crucifigatur, & sic ingrediatur Paradisum? Deumque illi qui se obtulerit continuo Christi impressisse effigiem, quem Judæi, Jesum esse existimantes, occiderint & crucifixerint. Ipsa Muhammedis percipite verba, (l) dixerunt Judæi, nos sane occidimus Christum Jesum filium Mariæ, legatum Dei: sed non occiderunt eum neque crucifixerunt, verum objecta est eis similitudo ejus: & profecto qui discordes fuerunt in eo, dubitaverunt de hoc. Non erat illis de eo ulla scientia, sed solum sectati sunt opinionem, neque occiderunt eum vere, sed Deus elevavit eum ad se: nam Deus est potens & sapiens. Cui sunt tam obsecræ nares, qui non fabulam istam gerris Siculis vaniorem subodoretur? Has nugas ad Lydium Sacrarum Literarum lapidem si examinarem, actum agerem. Te duntaxat, Impostor Muhammed, tribus verbis volo. Numquid, ut mendacem oportet, tuorum meminisse verborum debebas, qui alibi in Alcorano tuo diem nativitatis, & mortis, & resurrectionis ὀφθαλμοφανερῶς (m) Christo tribuis? Per-

G

Per-

minatus Marraccius in prodr. ibid. p. 63-68. & in refutat. p. 113. 114. & p. 173. seq. Adde Warnerrum l. c.

(l) Alcoranus Sura IV. Sect. 155-157.

(m) Sic enim Surata 3. Jesus introducit loquens שָׁלוֹם עָלַי יוֹם וּלְדַת וְיוֹם אָמוֹת, pax super me eo die quo natus sum, & eo die quo moriar. Atque ibidem Sect. 48. Deus ad Jesum, ego, inquit, te mori faciam & ad me attollam. Verum rectissime observat

servat

Persuasumne habebas omnes præter te fungos
 esse & stipites, quibus ultro persuadeas, nivem
 esse atram, ter tria esse paria? Sed Epileptico
 fateor nonnihil condonandum, qui in Alcora-
 no tuo putidarum calumniarum farraginem,
 anilium fabularum sentinam, contradictionum
 puerilium lernam, & omnium imposturarum
 quas ad invidiam excogitare potuisti congeri-
 em, misellis tui admiratoribus relinquere in
 animo habuisti. Dic sodes quis sordidas has
 tibi nænias suggessit? Angelusne Gabriel, cu-
 jus alloquio delira atræ bilis tuæ figmenta ad-
 scribis? Angelum quempiam hæc & alia insu-
 rrasse tibi non negaverim, sed atrum, ut ip-
 sa Conjux tua Chadiga non diffitetur. (n) Il-
 lum scilicet quo de Christus Petro, qui passio-
 nem ipsius, ut tu ore improbo cordeque inve-
 recundo factam negas, ita futuram impedire
 ex incogitantia voluit, ἵπαγε ὀπίσω με Σατανᾶ,
 σκάνδαλόν μου ἔι, ὅτι εἰ φρονεῖς τὰ τῷ Θεῷ, ἀλλὰ τὰ
 τῶν ἀνθρώπων. Scilicet cum Diabolus optime
 sit gnarus, quam sit tenebrarum regno adver-
 sa hæc de pretiosa Christi morte, uno anima-
 rum nostrarum λύτρω καὶ λῆτρῳ, veritas, om-
 ni illam nisu obscurare tentat. Quam insuper
 belle

servat *Clar. Relandus*, Muhammedem ipsum non
 quidem mortem Christi naturalem, sed mortem dun-
 taxat in cruce negasse, eos autem qui hodie aliter
 sentiunt Muhammedanos a sectæ suæ auctore disce-
 dere, vid. de relig. Muhammed. Lib. II. Sect. 22.
 Adde *Marraccium* in prodr. pt. 3. p. 65.

(n) De Chadiga Muhammedi uxore, vid. *Hot-
 tingeri* Hist. Orient. Lib. II. cap. I. & *Marraccium*
 in vita Muhammedi p. 15.

belle, o bipedum nequissime, varia Christianis Schismata, Hæreses varias exprobras, tu interim Chamæleontis imitatus naturam, quemcunque attigeris proximum colorem reddis. nisi quod album candoris & innocentiaë characterem nunquam recipias. (o) Ex cunctis imo cunctarum hæresium quisquiliis centonem confuere religio tibi non est. Tuum te Alcoranum vel schedas potius, ex quibus alii post te librum illum blasphemum confecerunt, non aliunde aut furtim transcripsisse, verbis non dicam sesquipedalibus sed decempedalibus jactas, cum nec boni quidquam facere vel mali, nec ex te ipso futura prædicere, nec legere nec scribere potueris, nec ullus in rerum natura liber Alcorano & in doctrina & eloquentia comparandus inveniatur. *Dicito, inquis, si congregati fuerint homines & Dæmones, ut similem huic Alcorano afferant, eloquentia & præstantia ita insignem, non afferent similem, & si vel maxime alii alios juverint.* (p) Sententia est pomposa, verbis-

G 2

que

(o) Nihil frequentius Muhammedani Christianis exprobrant, quam schismata & tot in religione dissidia. Thrafonice ea de re quidam, *si decem*, inquit, *Christiani simul congregarentur, certissime discinderentur in undecim sententias.* Quum vero ipsi quoque Muhammedani in innumera fere sectarum divortia distracti sint, consultius agerent, si nobis schismatum varietatem objicere cessarent. De variis Muhammedanorum schismatibus agunt *Hottingerus* l. c. cap. 7. & *Marraccius* part. 3. prodr. p. 72 - 94.

(p) Alcoranus Surata 17. quibus similia occurrunt Surata 10. & 11. Qui de vana hac Alcorani jactantia plura

que asserta ampullatis. Modo non fraus tua solis descripta radio esset, modo non Corani tui, quo tanquam Circeō poculo tot justo Dei judicio gentes, ab Arabia ad Gades usque & usque Sinas, sunt fascinatæ, segmenta, tum ex Sacris Literis, at perperam intellectis, improbe immutatis & detortis, tum ex iis rebus quæ apud Christianos, Judæos & Paganos, sive recepta traditione, sive etiam errore & hæresi quadam obtinebant, esse desumpta, cordato nugarum tuarum lectori tam esset notum quam quod notissimum. Modo non hoc ipsum lethale de morte Christi neganda venenum, ex fœda veterum Hæreticorum, Simonianorum, Marcosiorum, Marcionitarum, Valentinianorum, Manichæorum, Eutychianorum aliorumque suxisses lacuna.

§. VII.

Atram cumprimis ad tetram hanc Hæresin facem prætulērunt Saturninus & Basilides, duo Menandri qui Simonem Magum Præceptorem habuit Discipuli. Sententiam Impostorum illorum hæreticam IRENÆUS Ecclesiæ Lugdunensis antiquissimus Episcopus, qui in Asia puer Polycarpum Joannis Evangelistæ discipulum vidisse dicitur, his exprimit verbis, (q) *neque passum eum, Christum scilicet, dicunt, sed Simonem quendam Cyrenæum angariatum portasse crucem ejus pro eo, & hunc secundum ignorantiam & errorem*

plura desiderat, adeat *Hottingeri Hist. Orient. p. 416. seq. & p. 486. & Marraccium* qui de Alcorani nomine, idiomate, stylo, materia, auctore & æstimatione apud Muhammedanos fusius differit.


(q) *Irenæus adv. hæreses Lib. I. cap. 23.*

rorem crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus, & ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, & stantem irrississe eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, & Nus innati Patris transfiguratum quemadmodum vellet, & sic adscendisse ad eum qui miserat eum, deridentem eos, cum teneri non posset, & invisibilis esset omnibus. Et EPIPHANIUS de Basilide eodem (r), δραμα-
 τεργῆ δὲ ἡμῖν ἄλλην δραματουργίαν ὁ δεύτερος μιμολόγος, ἐν τῷ περὶ σαυρῆ λόγῳ Χριστῆ, ἐχὶ Ἰησοῦ Φάσκων πεπονθέναι, ἀλλὰ Σίμωνα τὸν Κυρηναῖον. ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῷ ἀπὸ ἱεροσολύμων τὸν Κύριον ἐκβάλλεσθαι, ἠγγάρευσάν τινὰ Σίμωνα Κυρηναῖον βασάσαι τὸν σαυρὸν. ἐνθεν εὕρισκε τῆς αὐτῆ κυβείας ποιήσασθαι τὴν τραγωδίαν, καὶ Φησὶν, ἐκεῖνον ἐν τῷ βασάζειν τὸν σαυρὸν μεταμνησθῆναι εἰς τὸ ἑαυτῆ εἶδος, καὶ ἑαυτὸν εἰς τὸν Σίμωνα, καὶ ἀντὶ ἑαυτῆ παραδεδωκέναι Σίμωνα εἰς τὸ σαυρωθῆναι. ἐκεῖνος δὲ σαυρῆμένος, ἐσήκει κατάντικτος ἀοράτως ὁ Ἰησοῦς καταγελαῶν τῶν τὸν Σίμωνα σαυρῆντων, αὐτὸς δὲ ἀνέστη εἰς τὰ ἐπεράνια, παραδὸς τὸν Σίμωνα ἀνασκολοπιθῆναι, καὶ ἀπαθᾶς ἀνεχώρησεν εἰς τὸν ἔρανόν, *subjicit & aliam velut in scena fabulam secundus Histrion, cum de cruce Christi disputat. Negat enim Jesum esse passum sed vicarium ei Simonem Cyrenæum substituit. Quo enim tempore Hierosolymis Dominus ejectus est, angariaverunt Simonem quendam Cyrenæum ut ferret crucem.* Ex quo cavillandi concinnandique

G 3

fabu-

(r) Epiphanius adv. Hæreses Lib. I. Tom. II.
 Hær. 24. Sect. 3.



fabulam suam occasionem arripuit : nimirum Christum Simonem, cum is crucem portaret, in suam commutasse ejusque vicissim induisse formam, itaque Simonem ad crucis supplicium suo loco tradidisse. Qui dum in cruce suffigitur, Jesum a nemine conspectum, eosque qui Simonem suffigerent deridentem ex adverso constituisse, tum ad superos esse subvectum, cum pro se figendum Simonem substituisset, nihilque adeo perpeffum in cœlum evolasse. Quis non eundem in Basilide, Saturnino ac Muhammede mendacii spiritum agnoscit ? (s) Quem EPIPHANIUS, qui sub Valente, Gratiano & Theodosio Imperatoribus in Cypro floruit, strenuissimus Hæreticorum hydræ impuglator, carbone notavit, & Sacræ Scripturæ verû ita transfixit, ut mirum sit Muhammedem hoc erroris monstrum per posticum imprudenter ab orco revocasse. EPIPHANII rationes, quibus foetidum illum Basilidis foetum ad Indos, quod ajunt, & Garamantas imo in orcum remittit, ἀπὸ σώματος recensërem, nisi in ipsâ tantæ cognitionis meridie Soli lucem foenerando tempus perderem. (t)

§. VIII.

Hic nostram subit mentem, quod alii de Simone Cyrenæo, quem vice Christi in crucem

(s) Eadem deliria Lucio Charino tribuit Photius Cod. 114. Τὸν Χριστὸν μὴ σαυρωθῆναι, ἀλλ' ἕτερον ἀντ' αὐτῆ, καὶ καταγελῶν διὰ τῆτο τῶν σαυρέντων, non crucifixum esse Christum, sed alium pro eo, eumque ideo crucifigentibus irrisisse.

(t) Epiphanius l. c. Sect. 8. 9. 10.


cem actum Muhammed cum Hæreticis fabulatur, satis audacter memoriæ prodiderunt. Utrum Simon Christum nimis jejuniis, vigiliis, contumeliis fractum, lassum, ac ob flagellationem acerrimam prorsus infirmum, nec amplius crucem bajulare valentem, ita adjuvare jussus sit, ut Christo priorem partem crucis ferente, posteriorem Simon gerat, quem admodum non tantum Pictorum vulgus pingit, sed magni etiam Viri credunt. (u) An vero quod HIERONYMO (w) & aliis placet Jesus de pratorio egrediens ipse suam portaverit crucem, postea obvium habuerit Simonem, cui portanda crux imposita fuerit. De eo magno nunc opere non disputamus, in suo quilibet sensu per nos abundet, cum & Servatorem

G 4

no-

(u) In horum numero est *Theod. Beza* ad Marc. XV. 21. & ad Luc. XXIII. 26.

(w) *Hieronymus* Comment. in Matth. XXVII. Cum *Hieronymo* consentiunt *Augustinus*, *Origenes*, *Athanasius*, *Theophylactus* & alii. Sic enim *Theophylactus* ad Matth. XXVII. 'Οι μὲν τρεῖς Φασὶν ὅτι Σίμων ἐβάσασε τὸν σταυρὸν τῷ Ἰησοῦ. Ὁ δὲ Ἰωάννης αὐτὸν τὸν Κύριον Φησὶ βάσασαι, εἰκὸς ἐν ἀμφοτέροις γινέσθαι. Ἐξ ἀρχῆς μὲν γὰρ ὁ Ἰησοῦς ἐβάσασε τὸν σταυρὸν, μηδενὸς θελήσαντος βάσασαι, ἐν δὲ τῇ ὁδῷ εὐρόντες Σίμωνα, ἐπέθηκαν ἐπ' αὐτὸν τὸν σταυρὸν, tres Evangeliste dicunt Simonem portasse crucem Jesu, Joannes autem dicit ipsum Dominum portasse: verisimile est autem utrumque factum, primum enim Jesus portavit crucem cum nullus portare vellet: in via autem invento Simone imposuerunt ei crucem. Hanc sententiam sequuntur ex recentioribus fere omnes. Vide sis *Bynæum* de morte J. Christi Lib. III. c. 5. sect. 17.



nostrum *πολυπαθέσατον*, & Simonem sive successive, ut loquuntur, sive simul, suos cruci humeros supposuisse Sacra Evangelistarum Pagina testetur. Eorum autem licentiam minime probamus, qui quod ex limpidissimis Sacrarum Scripturarum fontibus habere nequeunt, ex Apocryphis quibusdam haurire, aut ipsi aliquid fingere quam *ἐπέχειν* malunt: ut faciunt qui ideo Simonem ad ferendam Christi crucem angariatum referre videntur, quod ter Christum ob grave pondus, semel non longe ab Lithostroto, inde paulo extra portam, tertio ad radicem montis Calvariae, concidisse observaverint, quod qua facilitate adfertur, eadem vel creditur vel rejicitur.

§. IX.

Verum enim vero ne latius justis spatiis sese effundat dissertatio nostra, atque ab eo quod propositum est longius aberret, ad apertos Crucis Dominicæ hostes, ac notabiles eorum *ἀνισορησίας* redimus. Prodeunt post Muhammedanos, quos quia mollius & melius, vel minus certe blasphemæ, de Salvatore nostro loquuntur, præmisimus, Judæi. Hi diro ac *ἀσπένδω* in Christum odio perciti, invidiæ facibus agitati, perpetua calumniandi impetigine abrepti, lingua sua maledicta *ὑπὸ τῆς γέεννης φλογιζομένη*, diras & duras adversus Christi personam, doctrinam & historiam evomunt blasphemias, quas quoties recordor cohorresco, quasque premere quam promere satius duco. Ut autem silentio involvam, quæ de Servatoris nostri Jesu Christi passione contra disertam Evangelicæ historiæ veritatem vertiginosi Ver-

puli

puli spa
instituti

Duo
gelio d
alterum
sed nul
ziis &
strum
ceptore
irritatu
peti ac
ltianis
GALA
celebe
Judæi
Recut

(x)
Cabalist
jus suis
vnm at
(y)
cap 7.
mala ac
non tam
dam reg
mas.
Paulus
na, fa
Nazari
passion
strum
(z)

puli spargunt, nec a me impetrare possum, nec instituti ratio permittit.

S. X.

Duos hic fingi Jesus, alterum qui in Evangelio describatur, in Talmude qui traducatur alterum, non nescio. Magno scilicet conatu, sed nullo vel, si quo, pudendo successu, districtis & convitiis Talmudicis non Messiam nostrum sed alium quempiam Jesum, qui Præceptorem suum Jehoschuam filium Perachizæ irritaturus lapidem erectum religiose coluerit, peti ac notari pertendunt. Ita sentiunt ex Christianis JOH. REUCHLINUS (x) & PETR. GALATINUS (y) Philologi superioris Seculi celeberrimi, ut aliquam hac ratione gratiam Judæis Judæorumque libris conciliarent. Nec Recutitorum desunt suffragia (z). Præsto est

G 5

R. LIP-

(x) De arte Cabalistica Lib. I. pag. 629. Script. Cabalift. Pistorii, *Josua*, inquit, *filius Parabiah, cujus fuit discipulus quidam Jesus Nazarenus Machabæorum ætate, non ille Christianus.*

(y) In opere de arcanis Catholicæ veritatis Lib. I. cap 7. p. 25. *Concedendum, ait, utique esse multa mala atque turpia in Talmud de Jesu Nazareno dici, non tamen ea de Jesu nostro Salvatore sed de alio quodam referri.* Adjicit plura ibidem quæ nos omittimus. *Reuchlino & Galatino accensendus quoque est Paulus Ricius, qui in epitome de Talmudica doctrina, facile, inquit, revinces non eundem esse Jesum Nazareum auditorem R. Josuæ & Jesum Nazareum passum sub Pontio Pilato Christum & Dominum nostrum.* p. 278. Script. Cabalift. Pistorii.

(z) Præter eos quos citat Auctor notandi sunt
R. Je-

R. LIPMANNUS Mulhusinus ante ducentos annos in suo genere clarissimus, cujus hæc sunt verba (a), ותשובה זו שייכת לומר להם על כל, הננות שנאמר בתלמוד על ישו ואומר להם שאין זה יזוש גם הוכיחו חכמי פרוז להם ששני ישו היו שהרי ישו שמאמינים בו היה בימי הילני המלכה וישו הנוצרי הנזכר בתלמוד היה בימי ר' יהושוע בן פרחייה
atque hæc responsio idonea est ut dicatur illis propter omnem contumeliam quæ dicitur in Talmude de Jesu, & dicendum illis, hunc non esse illum Jesum, sicuti etiam probant Sapientes Parisienses fuisse duos Jesus. Iste enim Jesus in quem credunt fuit diebus Reginæ Helenæ, Jesus vero Nazarenus cujus in Talmude mentio fit fuit diebus Josuæ filii Perachia. Consentit ex recentissimis Apella quidam Germanus, cui Salomo Zevi nomen est, quique in suo quod adversus aliquem ex Judæo Christianum nomine Fridericum Samuelem Brentium, stylo & caractere Judæo-Germanico, conscripsit apologetico (b), in Judæorum, si Josephum exceperis,

R. Jeziel in Disput. p. 20. 21. & R. Gedalia in הלשלת הקבלה fol. 24. col. 2. qui eodem figmento gentis suæ adversus Christum blasphemias incrustant. Eorum verba subjecta confutatione refert Eisenmengerus in Judaismo detecto Part. I. c. 5.

(a) In libro Nizzachon Sect. 347.

(b) Titulus libri est Jüdischer Theriack. Verba ejus huc facientia vide apud Eisenmengerum l. c. p. 231. 237. Decem arietes, quibus cunctos, qui aliquam Christi in Talmude mentionem quæritant, impugnat, idem convellit. p. 245. seq.

peris, lil
 de nostr
 ya (c)
 re sibi le
 dem fur
 distincti
 re aliqu
 pitus qu
 gello &
 oggann
 enim E
 rum Ma
 bulas,
 Christia
 Servato
 menti
 quod n
 aben E
 circum
 כמשה
 est null
 & sexce
 binis (

(c) E
 tonibus
 (d)
 (e)
 (f)
 (g)
 435.
 brabr
 R. A
 rum
 serm

peris, libris μηδὲ γερὺ nec volam nec vestigium de nostro apparere Jesu asserit. At κήροι καὶ λόγοι (c). Nec enim *Reuchlinus* & *Galatinus* hac in re sibi semper constant, nec *Lipmannus* & ejusdem furfuris homines suam inter duos Jesus distinctionem ubique observant, imo sibi aperte aliquando contradicunt, nec verborum strepitus quo utriusque historiam, prout in Evangelio & Talmude habetur, δις δια πασιῶν distare ogganniunt, quemquam movere debet. Veras enim Evangelii historias febricitantes Hebræorum Magistri in Talmudicas commutarunt fabulas, ut tanto minus ipsorum impostura a Christianis animadvertatur, utque facilius & Servator noster exosus, & immota N. Testamenti Historia Judæis suspecta reddatur. Quid quod reos habeamus confitentes, quos inter est *Aben Esra* (d) & *Maimonides* (e) de quo hocce circumfertur elogium, משה עד משה לא קם כמשה a *Mose* usque ad *Mosen Mosi* similis exortus est nullus. Nec non *R. Abraham Ben Dior* (f) & sexcenti alii, ex recentioribus præsertim *Rabbinis* (g), qui Talmudistas calamum adversus

(c) Revera nugas esse multis iisque gravibus rationibus adstruit *Eisenmengerus* l. c. p. 248 - 263.

(d) In Comment. ad Dan. XI. 14.

(e) In Hilcoth Melachim cap. 12.

(f) In Megillath Taanit. p. 27.

(g) Huc referendi *R. Isaac* in חיווק אמונה. p. 435. *Abarbanel* in מעני ישוע fol. 67. col. 1. *R. Abraham Zachut* in וחסין, *R. Naphtali* in עמק המלך, *R. Abraham Perizol* in מגן אנרהם & alii, quorum omnium huc facientia verba integra recitat *Eisenmengerus* l. c. p. 239 - 243.

nostrum strinxisse Messiam, eumque nec alium exerto veluti digito in Talmude commonstrari, rotundo sed & blasphemio ore probant ac approbant, quemadmodum suis enunciata fulcire Auctorum testimoniis proclive foret. O horrendam omnis impietatis ἀκρόπολιν ! Verbum mihi deest, quum ego hanc impietatem appello, profecto majus quid est.

S. XI.

Videamus igitur Verpulorum adversus salvificæ Salvatoris passionis historiam officias. Putido primum anachronismo meridianam Chronologiæ Evangelicæ obscurare lucem *πρὸς τὴν χερσὶν τε* adnituntur. Ita namque ex Recutitorum Rabulis (lapsus sum, Rabbinis dicere volebam) nonnemo nugatur, (b) כותבי זכרונות בישראל אופרים שיהשוע כן פרחייה רבו של ישו הנוצרי ואם כך הוא בימי ינאי המלך היה וכותבי זכרונות באומות העולם אומרים כי בימי הורודוס נולד ובימי ארקילוס בנו נתלה וממלוקת גדולה היא, זו שהפרש יש ביניהם יתר מפי שנים ונו' *qui rerum gestarum memorias ex Judeis conscribunt, tradunt Josuam filium Perachiaæ Præceptorem Jesu Nazareni fuisse. Quod si ita sit, oportet eum vixisse diebus Jannæi Regis. Historici autem inter gentes mundi (immundus Christianorum hostis Christianos putat) asserunt, Jesum Nazarenum natum esse tempore Herodis, & suspensum diebus Archelai filii ejus. Ingens autem hoc est discrimen, quia inter nos & illos est*

(b) R. Abraham ben Dior in ספר הקבלה.

est differentia plus quam centum & decem annorum. Fieri autem potest ut quoque errent, cum inquirunt Templum & Regnum Israelis post ejus suspendium nonnisi pauxillo tempore permanfisse. Est enim vera traditio in manibus nostris ex *Mischna* & *Talmude*, quæ nihil immutavit, videlicet *Josua* filium *Perachia* aufugisse in *Aegyptum* tempore Regis *Alexandri*, seu *Jannæi*, & cum ipso aufugisse *Jesum Nazarenum*. Vera autem traditio est in manibus nostris, anno quinquagesimo primo regni domus *Chasmonæorum*, & anno 299. ab ædificatione Templi illum captum esse cum esset filius (ut ex Christianis etiam *Paulus* Episcopus *Foro Sempronienfis* non sine errore arbitratur) *triginta sex annorum*, tertio anno regni *Aristobuli filii Jannæi*. Sic placet *Apellis*. Siccine tam bardos tam blennos fore Christianos somniatis, ut fidem potius habeant *Magistris vestris*, qui turbidam omnium mendaciorum & nugarum colluviem *Talmud* quinque post *Christum* seculis congefferunt, quam vero *Evangelistis* & *Apostolis*, qui familiarissime cum *Domino* versati, primi primæ ejus admissionis amici, ideoque testes *αὐτήκοι, αὐτόπται* ac *αὐτόπιστοι* fuerunt? Quo sane traditio a fonte remotior est, hoc minus a *fabulosis* & *fabulosis* sordibus esse defæcata solet. Ut ne vobis *Josephum Historicum* vestræ nationis *ἄξιονιστάλον* opponam: ut bellos hosce traditionum *Talmudicarum* buccinatores in sphalmate hoc chronologico neutiquam conspirare taceam. Eorum enim non postremus **ABARBANEL** *Christum* anno ab ædifi-

ædificatione Templi, non juxta *R. Abrahami*, cuius modo verba recitavimus, ducentesimo nonagesimo nono, sed ducentesimo sexagesimo nono, & centesimo quinquagesimo primo ante excidium anno, Messiam nostrum esse crucifixum tradit (*i*), ספק אחר יש לבני עמנו בדבר הזה במה, שאמרו שישוע הנוצרי מת מן שנה קודם חרבן הבית כי מצינו בתלמוד שהיה תלמיד של יהושוע בן פרחייה שהיה מהרור הג' מאנשי בנסת הגדולה והוא היה בימי אלכסנדר בן הורקנוס בן שמעון בן מתתיה הנקרא ינאי המלך ומפני שהתגרה עם הפרושים והמית רבים מהם כרה יהושוע בן פרחייה אלכסנדריא של מצרים ועמו ישוע תלמידו ואחר שבו משם לירושלים ובשנת רס"ט לבנון הבית נתלה שהיה קודם החרבן קנא שנה *aliud, inquit, dubium habent filii gentis nostræ hac de re, siquidem dicunt Christiani Jesum mortuum esse 42. annis ante Templi excidium. Invenimus autem in Talmude, illum fuisse discipulum R. Josue filii Perachie, qui fuit seculo tertio ex viris Synagogæ magnæ. Fuit autem is tempore Alexandri, filii Hyrcani, filii Simeonis, filii Matathie, qui vocatur Rex Jannæus. Et quia is contendebat cum Phariseis, multosque eorum interficiebat, aufugit Josuas filius Perachie Alexandriam in Ægypto, & cum ipso Jesus discipulus ejus. Postea inde reversi sunt Hierosolymam, & Jesus anno 269. ab ædificatione Templi suspensus est, quod factum ante excidium annis 151.*

Lon-

(*i*) *Abarbanel* in libro ישוע מעני, fol. 67. col. 1.

Longius autem Judæi ab ultimo Hierosolymorum excidio nefarium hoc gentis suæ atrocium dimovent, quo pœnam illam Christicidis fuisse inflictam fateri minus cogantur.

§. XII.

Sed enim cum Christianis etiam suum in hisce diffensum pertinaces verpuli objiciant, Christianorum hic, vel frivolas de passionis Dominicæ chronologia conjecturas, vel veras aut vero saltem similes dispicere opiniones res ipsa jubet. Quamvis de vitæ, πολιτείας functionisque Messæ curriculo quot & quæ fuerint veterum opiniones referre, difficiliorisne an utilioris fuerit operæ nesciam. Certe operosum est referre, ambitiosum refellere. Quidquid sit, neutiquam hic Chami, qui profana mente Patris sui derisit nuditatem, vestigiis insistemus. Hoc unice agemus, ut qui hodie nævis suis Patrum prætere auctoritatem solent, non aliter ratiocinari se videant, quam quod Logicorum more partem in concludendo indigniorem & infirmiorem semper sequantur.

§. XIII.

In anno autem Dominicæ passionis (k) assignando alii μεταχρονισμόν, προχρονισμόν alii, vel ut explicatius dicam, in describendo vitæ curriculo alteri excessum, defectum alteri com-

(k) De hoc argumento evolendi sunt Gerb. Job. Vossius in Dissert. de tempore Dominicæ Passionis quæ Operum Ejus Tom. VI. p. 82. extat, & Wilb. Langius de annis Christi p. 361 - fin. Add. Petavius de Doctr. Temp. Lib. XII. c. 9 - 20.

mittunt. Absurdus est *μελαχρονισμὸς Irenæi*,
 Scriptoris Apostolorum seculo proximi, qui
 Servatorem nostrum inter annum ætatis suæ
 quadragesimum & quinquagesimum docuisse
 refert, partim quod ante quadragesimum ætatis
 annum Magistri aut Doctoris fungi officio sit in-
 solens, partim ut omnes vitæ humanæ ætates
 attingens omnem ætatem servaret, quam se opi-
 nionem ab omnibus Asiæ Senioribus, istos ve-
 ro a Joanne Apostolo accepisse confirmat (1).
 Quasi vero quod salva tanti Viri auctoritate di-
 ctum velim, Christus qui ipsa Dei sapientia
 cluet, qui in tenerima juventute laudatissima
 futuræ suæ & eloquentiæ & sapientiæ specimi-
 na cum omnium admiratione dedit, Doctoris
 & Magistri gradum & titulum ante quadragesi-
 mum ætatis suæ annum meritus non fuerit.
 Longe aliud Ecclesiastici veterum Conciliorum
 volunt Canones, qui muneris Ecclesiastici
 obeundi exordio annum ætatis tricesimum
 Christi ad exemplar figunt. Neo-Cæsariensis
 Con-

(1) *Irenæus Adv. Hær. Lib. II. c. 39.* Ipsa ejus
 verba propter prolixitatem adducere nolumus. Ca-
 pite rursus sequente sententiam suam novo adstrue-
 re conatur argumento, atque ex Judæorum ad Chri-
 stum verbis, πεντήκοντα ἔτη ὄντων ἔχεις καὶ Ἀβραάμ
 ἐώρακας, *quinquaginta annos nondum habes & Abra-
 hamum vidisti?* Joh. VIII. 57. concludit ipsum qua-
 draginta annos superasse & a quinquagesimo haud
 procul abfuisse. Quod si enim, inquit, triginta an-
 norum fuisset, dixissent Judæi, *nondum habes annos
 quadragesima &c.* Hæc quam ficulnea sint & strami-
 nea quis non vider? Talia indicasse simul est re-
 futasse.

Concilii Canon XI. ita conceptus est, πρεσβύτερος πρό τῶν τριάκοντα ἐτῶν μὴ χειροτονεῖσθω, εἰάν καὶ πᾶν ἢ ὁ ἄνθρωπος ἄξιος, ἀλλὰ ἀποτηρεῖσθω. ὁ γὰρ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ τριακοσῷ ἔτει ἐφωτίθη καὶ ἤρξατο διδάσκειν, presbyter ante triginta annos ne ordinetur, etiamsi omnino dignissimus fuerit, sed prohibeatur: Dominus enim Jesus Christus anno tricesimo lumine baptismi illuminatus docere cepit. (m) Quasi vero etiam Christus soli salique Servator, annorum potius numero, quam sanguinis pretio, cujusvis ætatis homines a morte æternâ redemerit. Quasi vero oralis de vita & ministerio Christi traditio longe infra Scripturæ auctoritatem non subsidat. (n) Omnem quidem Car-

(m) In eandem sententiam apud Hippolytum Thebanum in Chronico legitur, οὕτως ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἅλ χρόνος ἐν τοῖς παιδικοῖς αὐτῆ χρόνοις διήγεν, μετὰ δὲ τὸ βάπτισμα ἐπελέξατο ἑαυτῷ τρεῖς μαθητὰς, κηρύσσειν σὺν αὐτοῖς τὴν βασιλείαν αὐτῆ μέχρι τῆ σωτηρίας πάσης ἔτη ἕγ. Διὸ καὶ οἱ ἐν Νικαίᾳ κανόνες τῆ θεοφύρων πατέρων παρακελεύονται, πρό τριάκοντα ἐτῶν μηδένα χειροτονεῖσθαι πρεσβύτερον. ἀρκετὸν γὰρ φησι τῷ μαθητῇ εἶναι ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ τῷ δέλω ὡς ὁ κύριος αὐτῆ, sic Dominus Jesus Christus triginta annos in ætate juvenili transiit: Post baptismum autem delegit sibi discipulos, prædicans cum illis regnum suum usque ad salutiferam passionem annis tribus. Ideoque Nicænæ Synodi 318. Patrum Divinorum canones decernunt ut ante annum tricesimum nemo ordinetur Presbyter, sufficit enim discipulo ut sit sicut Magister & servo sicut Dominus.

(n) Sic Feuarentius in not. ad Irenæi l. c. quod a

Cardinalis BARONIUS lapidem movet, ut tam patens quod vocat mendacium in aliquem qui *Irenæi* scripta corruperit impostorem derivet. *Hæc*, inquit (o) licet apud ipsum legantur, quod ab ipso sint scripta negamus omnino, nam eodem capitulo superius his contraria profitetur, cum baptizatum Dominum dicit existentem annorum triginta, ac subinde tria numerat Paschata, quorum tertio ipsum *Jesum* esse passum affirmat &c. Sed laterem lavat. Hallucinationes enim historicas in *S. Patrum* libris & crebras reperiri & valde interdum miras ex ἀμετρία τῆς ἀνδολεχῆς plerumque profectas, in tanta literarum luce nemini ignotum literato est.

§. XIV.

Senioribus qui *Joannem Apostolum* audierant proferens argumentum, tanti viri bona venia dixerim, nec *Ignatius*, nec *Polycarpus*, nec *Clemens*, nec *Dionysius*, *Joannis*, *Pauli* *Petri*que auditores id affirmant, quinimo ex horum scriptis contrarium facile colligitur. Potuit ergo istud audivisse a *Papia*, *Aristionis* & *Joannis Presbyteri* Discipulo, qui (auctore *Eusebio hist. eccl. lib. 4. c. 33.*) homo fuit pertenuis ingenii, & res quasdam ab *Apostolis* sub obscure & parabolice dictas non satis intellexit. Et rursus, candide autem de beatissimo *Martyre* sentiendum, quod impetu ipso refellendi *Gnosticos*, qui annum 31. *Christum* non excessisse dicebant, in partem contrariam delatus est. Sanctissimis enim & doctissimis hoc non raro contigisse ipsa luce manifestius est. Adde *Lampium* in proleg. ad *Joh. lib. I. cap. V. pag. m. 70.*

(o) *Baronius* in *Annal. Eccles. ad ann. Ch. 34. sect. 137.*

§. XIV.

Eiusdem plane commatis μεταχρονισμός est il-
 lorum, qui Dominum annos quadraginta sex
 natum passum fuisse putarunt, eo quod Tem-
 plum Hierosolymitanum, corporis Dominici
 imago, tot annorum spatio extractum a Ju-
 dæis dicatur. Quam putrido hæc sententia su-
 spendatur paxillo, augustissimum Ecclesiæ A-
 fricanæ sydus AUGUSTINUS (p) tam clare
 demonstrat, ut pertinacem esse oporteat, qui
 contra hiscere ausit. *Christum*, hisce Celeber-
 rimus Pater verbis disputationis filium abrum-
 pit, *annorum quidem triginta fere baptizatum*
esse retinemus auctoritate Evangelica, sed postea
quot annos in vita egerit, quanquam textu ipso
actionum ejus animadverti possit, tamen ne
aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia
Gentium collata cum Evangelio lucidius cer-
tiusque colligitur. Tunc enim videbitur non
frustra dictum esse, quod quadraginta sex annis
Templum ædificatum sit, ut cum referri iste nu-
merus ad ætatem Domini non potuerit, ad se-
cretiorem instructionem (fœtus in utero mater-
no generationem intelligit) humani corporis
referatur, quo indui propter nos dignatus est
unicus Dei filius, per quem facta sunt om-
nia.

H 2

§. XV.

(p) *Augustinus de doctrina Christiana lib. II.*
cap. 28.

τριάκοντα ἔτη μόνον ἐποίησεν, ἀλλ' ἐν τῷ τριακωσῷ
 ἐβαπτίσθη. κ. τ. λ. *primus Valentinus, qui tri-*
ginta nobis æonas confinxit, ab eo quod trigin-
ta annos educationis, vitæ, ac virilis ætatis
Salvatoris fuisse putavit, ignorans quod non
triginta tantum annos implevit, sed tricesimo
baptizatus est. &c. Quid causæ fuerit quod
 nonnisi unum ministerio Christi annum ve-
 teres Hæretici assignarint dicere non habeo.
 Si proterva cum aliis audacia sacrosanctum
 Joannis Theologi θεοπνεύστῃ Evangelium sus-
 que deque habuerunt (s) in hunc ipsos inci-
 disse errorem mirum non est; quia EUSE-
 BIO iudice, (t) ἀληθῆς ὁ λόγος, τὰς τρεῖς
 Ἐυαγγελιστὰς συνιδεῖν πάρεσι μόναι τὰ μετὰ τὴν ἐν
 τῷ δεσμοτηρίῳ Ἰωάννη τῷ Βαπτιστῇ κάθειρξιν ἐφ'
 ἓνα ἐνιαυτὸν πεπεραγμένα τῷ Σωτῆρι συγγεγραφό-
 τας, „verum est quod dicitur, cernere licet
 „tres Evangelistas ea duntaxat Servatoris no-
 „stri facta conscripsisse, quæ post Joannis Bap-
 „tistæ captivitatem uno anno gesta sunt. Un-
 „de Joannem, τὴν περὶ τῶν ἐν πρώτοις καὶ κατ'
 ἀρχὴν τῷ κηρύγματος ὑπὸ τῷ Χριστῷ πεπεραγμένων
 δίηγησιν, „eorum quæ initio prædicationis a
 „Christo sunt gesta narrationem, in suo adje-
 „cisse Evangelio idem *Eusebius* testatur. (u)

H 3

§. XVI.

(s) De ἀυθεντία Evangelii Joannis ab Hæreticis
 mature in dubium vocata vide *Lampium* in pro-
 leg. ad Joannem Libr. II. cap. I.

(t) *Eusebii* hist. Eccl. Lib. III. cap. 24.

(u) Quo

§. XVI.

Sed quid ego tam vehementer in Hæreticos τὰς ἐξ ἐναντίας invehor? Patrum splendidorum Ecclesiæ primitivæ Φωσφῶρων auctoritate repellor. Quippe CLEMENS ALEXANDRINUS, ORIGENES, (υυ) TERTULLIANUS, (x) LACTANTIUS, JULIUS AFRICANUS (y) alii, Ser-

(u) Quo fundamento isthæc Eusebii aliorumque non de grege Patrum, imo & recentiorum quorundam, Joanni id sterisse consilii, ut ad reliquos Evangelistas adderet supplementum, statuentium opinio nitatur, eruditæ disquisitioni subjicit *Lamprius* l. c. cap. 3.

(υυ) Qui περι ἀρχῶν Lib. IV. cap. I. ait, τεκμήριον γὰρ τῆς ἐκχυθείσης χάριτος ἐν χεῖλεσιν αὐτῆ, τὸ ὀλίγη διαγεγενημένη τῷ χρόνῳ τῆς διδασκαλίας αὐτῆ, ἐνιαυτῶν γὰρ πρὸ καὶ μῆνας ὀλίγας ἐδίδαξεν, πεπληρωθῆναι τὴν οἰκωμένην τῆς διδασκαλίας αὐτῆ, certissimum argumentum diffuse gratiæ in labiis ipsius hoc est, quod cum pauco tempore docuisset, annum enim & menses aliquot docuit, universus orbis doctrina ejus impletus est. Sibi tamen non videtur constare, quom contra Celsum Lib. II. cap. 12. Judam non solidum triennium cum Christo egisse scribit.

(x) Adv. Judæos cap. 8. *Hujus*, Tiberii scilicet, quinto decimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta quum pateretur. Eodem rursus capite, quæ passio perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino & Rufino Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die octavo Calendarum Aprilium. Hos autem Consules anno Tiberii 15. consulatum iniisse constat.

(y)

Servato
tia sole
drine d
ejusque
rit, salte
conclara
MENS
quin er
nos ἐπι
μόνον ἐδε
ἐνιαυτῶν
καὶ ὁ περ
καὶ αὐτῶ
ἐτα πλε
erat au

(y) Vic
Afric
mum
de civ
Lib. I
pirium
omne
bus C
fentiu
Brix
schæ
illud
per
pus
gel
(z)
P

Servatorem nostrum clarissimum illum justitiæ solem nonnisi per annum coruscis & doctrinæ & faciei suæ mundum collustrasse radiis, ejusque ætatem, tricesimum primum si attigerit, saltem non superasse annum, uno quasi ore conclamant. Rationem nobis dicat (z) CLEMENS ALEXANDRINUS, diffusæ cateroquin eruditionis, ἦν δὲ, inquit, Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν ἑλ. καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι, καὶ τῆτο γέγραπται ἕτως, ἐνιαυτὸν δεκτὸν κυρίως κηρύξαι ἀπέσειλέν με. Τῆτο καὶ ὁ προφήτης εἶπεν καὶ τὸ εὐαγγέλιον. πεντεκαίδεκάτω ἔν ἔτει Τιβερὶς καὶ πεντεκαίδεκάτω Αὐγέστῃ, ἔτα πληρῆνται τὰ τριάκοντα ἔτη ἕως ἃ ἔπαθεν, erat autem Jesus veniens ad baptismum anno-

H 4

rum

(y) Vide sis *Lactantium* Libr. IV. cap. 10. *Julium Africanum* in libr. de temporibus apud *Hieronymum* in comment. in Dan. cap. IX. *Augustinum* de civitate Dei Lib. XVIII. cap. 54. & de Trinitate Lib. IV. cap. 10. *Orosium* Lib. VII. cap. 10. *Sulpitium Severum* hist. sac. Lib. II. cap. 27. Qui omnes Christum anno Tiberii decimoquinto, duobus Geminis Consulibus cruci affixum esse consentiunt. His denique accedat *Gaudentius* Episc. Brix. in tractatu tertio de prima Dominica Paschæ, *anniculus*, inquit, est Christus, quia post illud baptismum, quod pro nobis in Jordane suscepit, usque ad passionis suæ diem, unius anni tempus implevit, & illa tantum scripta sunt in Evangeliiis, quæ in illo anno vel docuit vel fecit.

(z) *Stromatum* Libr. I. cap. 21. p. 407. edit. Pott.

(y)

rum circiter triginta, & quod annum duntaxat unum prædicare ipsum oportuerit, scriptum est ita, annum acceptum Domini misit me prædicatum. Hoc & Propheta dixit & Evangelium. Quintodecimo ergo anno Tiberii & quintodecimo Augusti, sic implentur triginta anni usque quo passus est. Hoc telum, unum duntaxat annum Christus prædicare debuit, quia scriptum est, annum acceptum misit me annuntiatum, quam sit imbelle quis non videt? (a) Non majori sane negotio πολιτείας Christi in Ministerio suo intervallum unius dieculæ termino aliquis definiret, quia ibidem loci additur $\square\pi\eta\ \square\tau\eta$, diem ultionis (b) ἄλλο δὲ γλαυξ ἄλλο κορώνη φθέγγεται. Helleboro habet opus, qui Messiam præconii sui non tempus, sed ut cum scholis loquar, objectum designare non animadvertit. Ita sunt Patrum nonnulli in chronologicis vel parum accurati vel parum felices.

§. XVII.

Suos tamen hæc opinio novissimis hisce temporibus nacta est patronos. Ex Pontificiis quem sciam neminem nisi DIONYS. PETAVIUM, (c) Jesuitam potissimum, quem
con-

(a) Teli hujus infirmitatem, contra Gnosticos & Valentinianos, qui eodem suam de unico Ministerii Christi anno hypothesein defendere solebant, prolixè demonstrat Irenæus adv. hæc. Lib. II. cap. 38.

(b) Esajæ cap. LXI. vers. 2.

contra
SALM.
coerhes
vero
nium no
Christi
niam su
TIUS.
erudit
pellis
sphala
Proton
tricesim

(c) Qui
12.
datur
sunt fi
edit.

(d) pag.
na ten
porum
ætatib
allegit.
anno p
rinus
superu
Petæ
morte
alibi
se l.
sus
(e) G

contradicendi maximis Viris SCALIGERO, SALMASIO, & omnibus bonis ac doctis ca-coethes transversum perpetuo abripit. Idem vero sui ipsius immemor, in suis ad *Epiphanium* notis (d) triplici Paschate curriculum Christi concludit. Erroneam *Petavii* sententiam suam alicubi facere videtur HUGO GROTIUS, in philologicis eruditorum phoenix quia eruditissimus, in theologis vero homo versi- pellis & astutus. Huic non displicet Jesuitæ sphaema, quo Stephanum Novi Testamenti Protomartyrem anno post Christum natum tricesimo primo lapidatum nugatur. (e) Idem

H 5

tamen

(c) Qui in libro de doctrina temporum Lib. XI. cap. 12. Stephanum anno Christi tricesimo primo lapidatum, Saulum vero anno tricesimo tertio conversum fuisse statuit. Add. Lib. XIII. p. 374. Tom. II. edit. Antvverp. A. 1703.

(d) pag. 206. & seq. Idem tum in citato de doctrina temporum libro passim, tum in rationario temporum part. 1. Libr. V. cap. 1. Christum anno ætatis quarto & tricesimo passum esse, constanter asserit. Atque part. II. Libr. IV. cap. 4. nos, inquit, anno prædicationis tertio passum esse Christum asserimus, ac biennium integrum cum mensibus aliquot supervixisse baptismo. Hæc eo nos inducunt, ut *Petavium* Stephani lapidationem Christique ipsius mortem ad annum 31. referentem, alium quam alibi iniisse computum existimemus. Sic enim ipse l. c. *Igitur anno 31. ineunte æræ Dionysianæ passus est Christus.*

(e) Grotius in append. ad Comment. de Antichristo.

Opp.

tamen *Grotius*, meliori adhibita lima, quatuor Christo in Sacris Paschata adsignari fatetur. (f)

§. XVIII.

Augustanæ Confessionis Præco quidam Amstelodamensis, huic de anno Ministerii Domini unico hypothese, Evangelicam aptare harmoniam & historiam studuit. Sed oleum perdidit & operam, quemadmodum qui illius inspexit opera, mihi hucusque fateor non visa, Vir in omni scibili incomparabilis iudicat. (g) Ex nostris qui hanc de Christi curriculo sententiam expresse & diserte defendendam susceperint ac propugnandam, sunt, ut Hebræorum utar diverbio, *מתי מספר ונער יכתוב ונער כסו* *homines numeri quos puer facile scribat, imo quos puer parvus ducat.* Ex omnibus enim, quos mihi quidem hætenus meis usurpare oculis contigit, nonnisi duos inveni. *(מתי מספר ונער יכתוב ונער כסו)* *duo catuli occidunt leonem*, non leones, vetus Talmudistarum

Opp. Tom. III. p. 478. *Is, inquit, qui ad omnium aliorum etiam Card. Baronii diligentiam plurimum adjecit Dion. Petavius, probat Stephanum lapidatum anno post Christum natum tricesimo primo &c. Contra Grotium æque ac Petavium copiose disputat Maresius in concordia discorde s. Antichristo revelato Libr. I. cap. 12. p. 195-204.*

(f) In Comment. ad Joh. cap. 11. 13. cap. V. 1. cap. VI. 4.

(g) *Maresius* in lect. histor. pag. 12.

starum
TUS,
logica
Est G
tiquitat
se Petav
nimio
tentia
opinio
ro Pat
supput
repetet
quis n
stantiu
magis.
Chron
mum
cundu
dum a
nio a
bitrant
metidil
nea Di
vetur,
incider
LAND

(b) Pet
(i) Ve
qua
(k) A
(l) C
no
d
a


starum habet adagium.) Est SAMUEL PETI-
TUS, Vir doctissimus, cujus eclogæ chrono-
logiæ anno 1632. Parisiis prodierunt. (b)
Est GERH. JOH. VOSSIUS, Criticus in an-
tiquitate nemini secundus. (i) Huic imposu-
isse *Petavium* nonnemo credit. (k) Ambo autem
nimio Patrum quorundam, quos in hac sen-
tentia $\alpha\mu\sigma\psi\eta\phi\upsilon\varsigma$ habent, amore allecti, receptæ
opinionis valedixisse videntur. Qua ratione ve-
ro Patres conjecturis mirum quam incertis
supputare tempora nonnunquam soleant, si
repetere, crambem toties totiesque positam
quis non ructaret nausearetque. Amicus La-
ctantius, amicus Tertullianus, amica veritas
magis. Quod si nonnulli ex recentioribus
Chronologis Christum anno sui supra tricesi-
mum primo passum fuisse dixerunt, id non se-
cundum annos æræ Christi veræ, sed secun-
dum annos æræ Dionysianæ, quæ toto trien-
nio a vera aberret, eos intellexisse quidam ar-
bitrantur. Ex Mathematicorum enim Ephe-
meridibus passionis Dominicæ diem, si erro-
nea Dionysii Exigui æra in vulgus edita obser-
vetur, in annum Christi a nativitate tricesimum
incidere, Celeberrimus Mathematicus PHIL.
LANDSBERGIUS docet. (l). Verum enim-
vero

(b) *Petitus* Ecl. Chronol. I. 11.

(i) *Vossius* in disert. de tempore Dominicæ passionis,
quæ extat Opp. Tom. VI. pag. 82.

(k) *Maresius* l. c.

(l) Conf. quæ ad paragraphum præcedentem not. d.
notavimus. De æra Dionysiana vid. *Petavium*
de doct. temp. Lib. XII. cap. 2. & 3, & in notis
ad *Epiphanium* p. 112.



vero nobile illud Eruditorum par suam de Epo-
cha Dionysiana explicari sententiam neutiquam
patitur. Satis enim diserta utriusque sunt ver-
ba. *Id verum*, inquit PETITUS, nobis
videtur, Christum passum esse anno quinto de-
cimo Tiberii Caesaris, cum annum ageret tri-
cesimum primum, sive Dionysianum vicesimum
nonum, anno Orbis conditi ter millesimo non-
gentesimo septuagesimo octavo. In eandem
plane totidem verbis & syllabis sententiam abit
VOSSIUS, (m) ac scrupulum quem ex B. Lu-
ca, qui anno Tiberii quintodecimo Domi-
num nostrum sacra Jordanis tinctum lymphā
asserit, nonnulli injiciunt, omnium eximi ani-
mis arbitratur, si dicat, S. Evangelistam sup-
putare annos Tiberii non Romanorum calcu-
lo, quo a mense Augusto Imperator impera-
re cœperit, ita ut Christus anno quarto deci-
mo baptizatus & decimo sexto passus fuerit,
sed Hebræorum inire rationem, qua quidquid
mensē, a quo annum Judæi politicum inci-
piunt, septimum puta Tisri antecedit, præce-
denti accensere anno consueverint, juxta cano-
nem, יום אחד בשנה בסוף שנה חשוב שנה *dies*
unus in anno in fine anni pro anno numeratur;
ita ut Romanis decimus quartus, Judæis deci-
mus quintus fuerit. An vero Lucas Tiberii
annorum seriem non tam ab imperii ejus exor-
dio, quam juxta Hebræorum Calendarium
prænotaverit, harum rerum judicent periti.
Ut de Celeb. MEUSCHII (n) reticeam calculo,
quo

(m) Vossius l. c. p. 82.

(n) Meuschii Chronol. p. 157.

quo a
dem B
to de
baptiz
rationi
VOSSI
foret s
pothet
facile
locutio
glossē
tuat,
Mathet
digladi
propen
mentio

Alii b
ralle
et
rīs
rīs
sentie
nem
tuor,
stipula
gas

(o) E
(p)

quo anno Tiberii quintodecimo Joannem quidem Baptistam ad munus suum vocatum, sexto decimo autem imperii ejusdem Christum baptizatum esse confirmat. Aliis quidem etiam rationibus Clar. PETITUS eumque secutus VOSSIUS suam fulciunt sententiam, quas ἐν χρεῶν ζυρεῖν, res & altioris indaginis & longioris foret subsellii. Hoc κατὰ πλάτος adjungo, hypothefibus illos niti, quibus non tam omnes facile moventur. Vel enim proprias Christi locutiones in proverbialia torquent, vel ὑσεραπρότερα duriora fingunt, vel voces nonnullas ex glossemate in sacrum irrepsisse Contextum statuunt, vel id ex Mathesi supponunt, quo de Mathematicorum principes adhucdum inter se digladiantur. Nec ita Clar. VOSSIUS in unam propensus est sententiam, ut ne alterius quidem mentionem fieri dignetur.

§. XIX.

Alii biennium & paucos menses Christi durasse πολιτείαν statuunt. Ὡς τε εἶναι τὰ πάντα ἔτη τῆς αὐτῆ ἐνσάρκε παρρησίας ἕως τῆ πάθους ἀπὸ τῆς γενήσεως τριάκοντα δύο ἔτη, καὶ ἐβδομήκοντα τέσσαρας ἡμέρας, ut omnes incarnati Christi presentie anni, inde a nativitate usque ad passionem sint anni triginta duo, dies septuaginta quatuor, verba sunt EPIPHANII. (o) Huic ad stipulatur Hieronymus, (p) apud quem legas, juxta Joannem Evangelistam per tria paschata

(o) Epiphanius adv. hæreses Lib. II. T. I. hæc. 51.
 (p) Hieronymus in Danielis Cap. IX.


paschata duos postea implevit annos. HIERONYMUM alii sequuntur. (r) Sententiam suam ita incrustant. Si Christus ἐνιαυτὸν δεκτὸν annum prædicavit acceptum (quemadmodum ex CLEMENTE ALEXANDRINO percepimus) hoc est nullo contradicente vel Judæo, vel Samaritano, vel Gentili, & alterum ἀντιλεγόμενον καὶ ἔ δεκτὸν, contradicitionibus obnoxium ac minime acceptum fuisse necessum esse. Sic enim EPIPHANIUS, (s) ὀκτωκαιδεκάτω ἔτει Ἡρώδης τῷ ἐπικληθέντος Ἀγρίππης, τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς τῷ κηρύγματος, καὶ κηρύσσει ἐνιαυτὸν δεκτὸν, ὑπ' ἑδενὸς ἀντιλεγόμενος, ἔτε ὑπὸ Ἰουδαίων, ἔτε ὑπὸ Ἑλλήνων, ἔτε ὑπὸ Σαμαρειτῶν, ἔτε ἀπὸ τινος ἑτέρου. ἔπειτα ἀντιλεγόμενος ἐκήρυξεν ἐνιαυτὸν δεύτερον, καὶ γέγονεν ἑνεακαιδεκά ἔτη τῷ αὐτῷ Ἡρώδῃ, τῷ δὲ Σωτῆρι τριακοσὸν δεύτερον. ἐν δὲ τῷ εἰκοσῷ ἔτει τῷ Ἡρώδῃ γίνεται τὸ σω-

- (r) In his sunt *Apollinaris Laodicensis* apud Hieronymum l. c. *Cassiodorus* in *Chronico*, *Cyrillus Alexandr.* in *Esaj.* cap. 29. cujus hæc sunt verba, ἐν δυοὶ γὰρ ὁλοῖς ἔτεσιν ἀπασαν περιουσίαν τὴν Ἰουδαίαν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, ταῖς πανσόφοις ἐχρήσατο διδασκαλίαις, καὶ τὰ θεῖον αὐτοῖς καὶ εὐαγγελικὸν παρετίθει κηρύγμα, per totum enim biennium universam peragrans Judæam Dominus noster Jesus Christus, doctrinas omni sapientia refertas adhibuit, divinamque illis & evangelicam prædicationem promulgavit. Huius sententiæ ex recentioribus quoque nonnulli accedunt.
- (s) *Epiphanius* adv. hæret. Lib. 1. hæret. 20, pag. 48.

σωτήριον πάθος, decimo octavo anno Herodis Agrippæ Jesus Christus promulgare divinum verbum aggressus est, tum annum illum acceptum in ea præconiî functione consumit, nulloneque Judæorum, neque Gentilium, neque Samaritanorum, neque alterius generis repugnante. Secundo præconiî anno quamplurimos obtrectatores habuit, qui quidem Herodis decimus novus, Christi tricesimus secundus extitit. Demum vicesimo Herodis anno Christus passus est. Quam hiulca hæc & ficulnea! Quid est τερατολογεῖν in literis si hoc non est? Quod si recentiores nonnulli, quos inter FRANC. RUIZIUS Abbas Vallisoletanus, (t) Dominum nostrum anno sui tricesimo secundo completo, tertio per tres menses & dies decem inchoato, passum fuisse credant, hoc innituntur fundamento, Christum ὡσεὶ ἑλῶν τριάκοντα, (u) quod ipsis interpretibus est, ipso tricesimi anni exordio, sancto baptismatis flamine & flumine fuisse tinctum. Verum in hoc cum errent, in cæteris qui inde deducuntur annis errare mirum non est. Sane Christum anno ætatis vel tricesimo expleto, vel tricesimo etiam primo inchoato fuisse baptizatum, voculamque ὡσεὶ non ἀπορητικὴν seu σοχαστικὴν sed ἀληθινὴν esse, non ἰσχυρὴν seu μείωσιν, sed Hebræorum idiotismo תרתיסא seu βεβαίωσιν notare, maximi ætatis ultimæ Philologi, SCALIGER, CASAUBONUS & CAP-

(t) Franc. Ruizius in regula intelligendi Scripturas ex mente Patrum pag. 126. & 130.

(u) Luc. Cap. 11. vers. 23.



CAPPELLUS, HIERONYMUM secuti, quibuscum ipse consentit BARONIUS, sufficienter demonstrarunt. (vv)

§. XX.

GUILIELMUS ALABASTER Anglus, qui magnus nostra ætate Alastor, in sua pulchritudinis buccina (x) fumos vendit magnos, vitamque Christi annum non excessisse tertium & tricesimum, ex Cabbalistarum monstrare gematria satagit. Cum autem Cabbalistico illo Rabbitorum lusu pauci delectentur, convincantur nulli, apinis istis & tricis immorari non attinet.

§. XXI.

Pervulgata Ecclesiæ Romanæ, teste BARONIO, (y) est sententia, qua mundi Salvatorem

(vv) *Scaliger* de emendat. temp. pag. 547. 548. *Cassaubonus* adv. Baronium exercit. XIII. sect. 9. *Cappellus* hist. apost. pag. 47. *Baronius* in annal. Tom. I. pag. 34. & 186. Adde *Langium* de annis Christi p. 363. seq. & *Petavium* de doctr. temp. Lib. XII. cap. 5.

(x) *Guilb. Alabastri* ruba pulchritudinis pag. 56. De Viro hoc vid. *Baylium* in dictionario historico critico.

(y) In Annalibus Ecclesi. ad An. Chr. 34. Sect. 141^a 148. Hanc sententiam amplectuntur Romanæ Ecclesiæ Doctores fere omnes, imo & Græci quidam in eandem iverunt. Ad *Chrysostrum*, *Nicetam*, *Cedrenum* provocat *Baronius* l. c. Sic & *Evo-*

rem anno suæ ætatis tricesimo tertio, mense tertio cruci affixum credit. Hujus sententiæ non tam Venerab. BEDAM (z) quam B. IGNATIUM (a) auctorem Baronius laudat, hancque Romanæ Ecclesiæ assertionem cæteris omnibus præstare auctoribus nescio quo supercilio, ὑποθέσει forte δαλεύων, garrit. Sua huic opinioni si placet, ut & nostrum quibusdam placet, constet auctoritas, num vero illa solius Romanæ Ecclesiæ prætextu reliquis præstet omnibus, qui de fungorum profapia non est, cuique vel mica salis superest judicet.

I

S. XXII.

Evodius apud Nicephorum Libr. II. cap. 3. ἀπὸ τῆ βαπτίσματος ἕως τῆ πάθους Χριστοῦ ἔτη διήλθεν τρία. Et Nicephorus ipse libr. I. cap. 29. ὁ πᾶς χρόνος τῆς τῆ Σωτῆρος διδασκαλίας εἰδὲ τετραετιῆς περιίσταται.

(z) Qui libr. de temp. rat. cap. 47. habet, inquit, nē fallor Ecclesiæ fides Dominum in carne paullo plus quam 33. annis usque ad suæ tempora passionis vixisse, quia videlicet 30. annorum fuerit baptizatus, & tres semis annos post baptismum prædicaverit.

(a) In epist. ad Trallianos sic scribit, καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννης ἀληθῶς, καὶ εἰ δοκῆσει, καὶ τρεῖς ἐνιαυτὸς κηρύξας τὸ εὐαγγέλιον, καὶ ποιήσας σημεῖα καὶ τέρατα ἐσαυρώθη ἀληθῶς, εἰ δοκῆσει, οὐ φαντασία, ἐν ἀπάτη, ac tribus decenniis inter homines versatus, a Joanne vere est baptizatus, non opinione hominum duntaxat. Cumque triennium prædicasset Evangelium & signa ac prodigia fecisset, crucifixus est vere, non opinione, non imaginatione sola, nec impostura.

§. XXII.

At enim inquit aliquis, quando igitur quove ætatis anno Christus vita nostra mortem morte debellavit sua? Etiam si in tanto Chronologorum dissidio se interponere medium nec ipse ausit Palæmon, nihilo minus tamen si omnes omnium quibus militant rationes æquiore mentis trutina ponderabimus, historiæque Evangelicæ libellam adhibebimus, omnium minime a veri scopo aberrasse apparebit subactissimi iudicii Viros, SCALIGERUM puta, MEUSCHIUM, ALSTEDIUM, horumque sequaces, qui Christum anno ætatis suæ supra tricesimum quinto currente se Deo Patri victimam pro nobis obtulisse contendunt. (b)

§. XXIII.

Minus porro necessaria de passionis Dominicæ die Philologorum inter se & Chronologorum est dimicatio. Quotum mensis Juliani diem innocentissimo agni Dei inculpati & incontaminati sanguine Christicidæ collutulaverint, Mathematicorum ex Ephemeridibus computent filii. (c) Ejus in Codice suo vel verbulo memi-

(b) Vide *Scaligerum* de emendat. temp. Libr. VI. pag. 551-561. *Meuschium* in chronol. pag. 108. *Alstedium* in chronol. pag. 139.

(c) De die passionis Dominicæ antiquissimorum Patrum & Chronologorum firma persuasio est, ipsam 8. a. Cal. Apriles seu Martii 25. accidisse. *Beda* hæc sunt verba, quod autem 8. Cal. Apr. crucifixus, 8. Cal.

meminisse Spiritus Sanctus noluit; nec singulari absque consilio, ut sic obicem re ipsa poneret superstitioni qua hominum mentes circumstantias magis ac instrumenta quam rem venerari ipsam consueverunt. Jugulante autem notanda veru opinio venit Jesuitarum, qui agnum mundi in ipsa Judaici Paschatis solemnitate maectatum asserunt, tantum ut Christum azymis non autem fermentatis panibus in Paschatis vigilia sacram instituisse coenam evincant, omnisque novitatis suspicionem evitent, dum in Missa non Christum (Christus enim ab histrionica illa scena corpore & gratia sua tantum abest, quantum coelum a coeno) sed crustum quod ἀρτολάτρεις adorandum proponunt ex tritico, Deum Mauzim ex azymis, cum non ex quolibet fiat ille Mercurius ligno, conficiunt. Quid vero, quid amabo, Tyria hic concire maria juvat? Christum satis legi per omnia facturum, sive eodem cum Judæis die Pascha celebrarit, sive diem anticiparit, in Festo Paschatis ac proinde in sacra quoque

I 2

Coena

o. Cal. earundem die resuscitatus fuerit, multorum late doctorum constat sententia vulgatum. Pauci sunt qui crucifixionem ad 23. Martii, pauciores qui ad 3. Aprilis referant. De hac controversia vid. Petavium l. c. cap. 13. Scaligerum l. c. & alios. Pro explorato quoque habuit Antiquitas Christum sexta hebdomadae feria seu Veneris die, mortem oppetiisse. Contra tamen Langius de annis Christi Lib. II. cap. 4. pag. 375. Christi necem in feriam incidisse quintam seu diem Jovis ex Matth. 12: 40. demonstrare conatur.

Cœna non ἐνζύμα, ut *Epiphanius* & *Chrysostomus* perperam statuerunt, (d) sed ἄζυμα panem illo ipso tempore communem adhibuisse lubentes concedent, quotquot suo rem pondere pensiculabunt. Jesus enim qui ritus omnes antiquæ Legis accurate observavit, cogitari non potest eo tempore, quo agnum Paschalem comederat sacramque instituerat cœnam, panem summissee ἐνζυμον, cuius usus adeo severe tunc interdictus erat, ut eo vesci non modo sed & domi habere, idque gravi sub pœna, lex Divina vetaret. (e) Sed absurde, sed imperite, sed adversus Evangelistarum mentem, Christus ipsa solennis Paschatis die cruci fuisse affixus prædicatur. (f) Pascha nostrum, quod Paulo doctore Christus est, ipso Paschatis festo cornibus crucis, ut *TERTULLIANI* (g) utar verbis, inhæsisse quis negat? At festus dies erat non juxta Judæorum traditionem, qui vel duorum festorum declinaturi concursum, vel æquinoctii præstolaturi terminum, de feria sexta in septimam Pascha rejecerunt, sed juxta Dei institutum. Σταυρώσιμον Domini
ac

(d) *Epiphanius* hæc. 50. *Chrysostomus* homilia 82. in Joannem. Idem vero universa etiam sentit Ecclesia Græca, quæ Christum Judæorum Pascha anticipasse & in Cœna sacra ἐνζύμοις usum fuisse contendit.

(e) Vid. *Job. Buxtorfi* fil. dissert. de cœna Domini sect. 17.

(f) Rationes quibus hæc impugnari potest sententia adducit, atque adversantium objectiones diluit *Hospinianus* de orig. fest. Christ. pag. 61-66.

(g) Adv. Judæos cap. 13.

ac ultimum ἐν ἀνθρώποις πολιτευομένε Pascha in
 primi mensis diem incidere decimum quart-
 tum non inficiamur. At decimus quartus
 erat non κατὰ πολιτείαν sed κατὰ σελήνην, non jux-
 ta Judæorum computum sed Lunæ motum,
 non secundum consuetudinem sed rei verita-
 tem. Ita ut apprime hoc cum Judæorum
 conveniat observatione, etiamnum in Cabba-
 listarum monumentis comparente, eo scilicet
 die Messiam Israelis populum redempturum, quo
 Ægyptiaca olim captivitate liberatus fuit. Sic
 enim illorum quidam תהיה העתידה תהיה הגאולה
 בראשונה ולכן אמרו ז"ל בניסן נגאלו ישראל ובניסן
 ליגאל redemptio futura erit sicut prior, ideo
 sapientes nostri beatæ memoriæ dixerunt Israelitas
 mense Martio redimendos esse sicuti eodem mense li-
 berati fuerunt. (h) Faceffant igitur hinc qui
 cum Patribus quibusdam Græcis Messiam uno
 die verum Paschatis tempus anticipasse, legem-
 que fuisse transgressum volunt eum, quem de-
 cebat πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην, quique ipse
 dixit, μὴ νομίσητε ὅτι ἤλθον καταλύσαι τὸν νόμον, ἢ
 ἤλθον καταλύσαι ἀλλὰ πληρῶσαι. (i) Nec majorem
 merentur fidem qui vel cum veteribus nonnul-
 lis Judæos, utut fuerint rituum ac traditionum
 tenacissimi, vel cum Loyolitis Judæorum fal-
 tem

I 3

- (h) Abarbanel in ישוע במעני ישוע fol. 86. col. 4. & R.
 Naphtali in עמק המלך cap. 32. יש לנו קבלה
 אמתית שתהיה הגאולה בזמן קבלת שבת est vera
 traditio in manibus nostris quod redemptio futura
 sit tempore acceptionis Sabbati, id est vespera fe-
 riæ sextæ. Plura vid. apud Eisenmengerum part.
 II. pag. 791-809.
 (i) Matth. cap. V. 17.

tem Proceres, agni Paschalis esum ac usum propter necem Christo inferendam distulisse nugantur. Ariadneum se reperisse filum arbitratur THEOB. MEUSCHIUS (k) si dixerit neque Christum anticipasse, neque Judæos protergasse, ut ex *Job. Lucido Samotheo* loquitur, seu distulisse agni Paschalis esum, sed Christum principio decimæ quartæ lunæ comedisse agnum typicum, sine autem ejusdem typum implevisse, quem frustra tunc Judæi celebraverint. Verum enimvero incidit in Scyllam qui voluit vitare Charybdin. Illæsa lege Christus in decimæ quartæ lunæ exordio agnum Paschalem, qui circa finem decimæ quartæ mactandus & sequentis initium comedendus fuit, edere vix valuisset. Si qui cum IRENÆO (cujus auctoritas etsi apud eruditos longe in multis sit maxima, tanta tamen nunquam erit, ut posthabita historiæ veritate dependere ab illa debeamus) eadem feria sexta qua, ut Venerandi Patris sonant verba (l)

homo

(k) Chronol. pag. 155.

(l) *Irenæus adv. hærefes lib. V. cap. 23. & Libr. I. cap. 9. καὶ διὰ τῆτο Μωυσεῖα, ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν εἰρηκέναι τὸν ἀνθρώπον γεγονέναι, καὶ τὴν οἰκονομίαν δὲ ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν ἢ τις ἐστὶ παρασκευὴ, τὸν ἔχατον ἀνθρώπον εἰς ἀναγέννησιν τῆ πρώτης ἀνθρώπου πεφηνέναι, ἢς οἰκονομίας ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ τὴν ἕκτην ὥραν, ἐν ἣ προσηλώθη τῷ ξύλῳ, propter hoc Mosen sexta die factum hominem dixisse, & dispositionem in sexta die qua est parasceve novissimum hominem in regenerationem primi apparuisse, cujus dispositionis initium & finem sextam horam in qua affi-*

xus

homo plasmatus est, qua de arboris vetitæ fru-
ctu manducavit, qua item ex hac vita migra-
vit, secundam nobis plasmationem quæ est à
morte, morte sua acquisivisse Christum cre-
dunt, eademque eundem in B. Mariæ semper
Virginis utero conceptum esse cum CYRILLO
(m) addunt, illis plium hunc ingenii lusum,
qui plus subtilitatis quam soliditatis, plus de-
votionis quam veritatis historicæ & chrono-
logicæ habet, nullo plane modo invidemus.
Modo non anili superstitione cerebri sui idol-
um, erroneum de re vera conceptum puto,
aliis adorandum obtrudere satagant.

§. XXIV.

Quantopere denique in hora qua affixus
cruci fuit Dominus, summus omnium rerum
opifex, æstuent Interpretes quis ignorat? Qua-
propter nec injucundum nec ab instituto alic-
num nonnihil de eadem attigisse putamus.
Hora Parasceves Paschalis ὥσει ἕκτη, quasi sexta,
Christum a Pilato Judæis ostensum Joannes
Evangelista, (n) hora vero tertia milites θεοκτό-

I 4

v85

xus est ligno. Et Gaudentius Brixianus in Exod.
Sexta, inquit, feria qua hominem Deus fecerat, pro-
eodem passus est.

(m) Cyrillus in Esajam.

(n) Cap. XIX, vers. 14. Quamvis ibi in Codicibus
quibusdam Manuscriptis ὥσει τρίτη legatur, ut Ma-
ximus N. Testamenti in hodiernam Græcorum
linguam metaphrastes, Millius & Mastrichtius in
lect. var. docent. Petrus etiam Alexandr. Episc. in
diatriba de Paschate idem tradit, ὥρα ἢ ὥσει τρί-
τη,

1889 Christum crucifixisse Marcus testatur. Quomodo necis sitibundi ac famelici Judæi hora tertia per milites illam executi sunt sententiam, quam sexta demum protulisse iudex videtur? Detestamur hic stolidam, ne quid dicam gravius, audaciam illorum qui alterutri Evangelistæ imputare errorem non erubescunt, quasi in rebus non necessariis ad fidem, uti in minuta de loco aut tempore circumstantia, falli poterint, non item in rebus fidei. Itane Spiritus Sancti Amanuensibus erroris potius dicam scribere, quam suam fateri ignorantiam? Quam est longe modestior Celeb. CASAU-BONUS (o) totius eruditionis genius & splendor omni commendatione major, qui, *solutio*, inquit, *in talibus omnium fortasse optima fuerit, expectandum esse Heliam qui τὰ ἀποκρυφα Scripturarum solvat*, (proverbialis hæc est locutio qua ἐποχὴν Academicam suadet) *atque interim verbi Divini certitudinem, tam in iis qua non capimus, quam in iis qua capere videmur, humiliter esse adorandam.* Sunt qui Historicos Sacros horas τρίτην vel ἑκτην, tertiam aut sextam, non integris vocum

lite-

τη, καὶ τὸς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτότε τὸ ἰδίον χεῖρον τῶ Ἐυαγγελιστῆ, ὅπερ μέχρι τῶ νῦν πεφίλακται χάριτι θεῶ ἐν τῇ ἐφεσίῳν ἀγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, hora erat *quasi tertia, sicut habent libri accurate descripti, atque ipsum Joannis autographum, quod ad hunc diem in S. Ephesina Ecclesia servatum Dei gratia est.* Hæc lectio si pro vera habetur, habetur autem a Beza, Boisio, Colomesio, Bynæo, aliis multis, omnis tunc inter duos Evangelistas sublata est discrepantia.

(o) Adv. Baronium exercit. XVI. sect. 110.

literis & syllabis sed nudis numerorum characteribus Γ & ς expressisse volunt, ita ut propter scripturæ similitudinem ἐξ ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων, per describentium incogitantiam, vel librariorum incuriam, alius in alium mutari potuerit, ac vel in Marco pro tertia sexta, vel in Joanne pro sexta tertia legendum fit. Sic THEOPHYLACTUS (p) τῆτο γραφικὸν σφάλμα, τὸ μὲν γὰρ γάμμα τὴν τρίτην ὥραν σημαίνει, καὶ ἔστιν ὁ χαρακτήρ αὐτῆ τοῖστος Γ. τὸ δὲ καλέμενον ἐπίσημον τὴν ἕκτην, καὶ ἔχει τὸν χαρακτήρα τοῖονδε ς. εἰκὸς ἔν τὸ γάμμα σοιχεῖον αἰπὸ τῆς ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων κρητῶσεως τῆς ἀποτεταμένης εὐθείας εἰς μῆκος, εἰς τὸν τῆ ἐπίσημῃ μεταχωρῆσαι χαρακτήρα, καὶ οὕτω τὴν πλάνην ταύτην γενέσθαι, *Scriptura est error, nam litera quidem gamma tertiam horam significat, Ἔ est character ejus talis Γ. Litera autem quæ sextam signat, habet characterem talem ς. Verisimile igitur est literam gamma a scriptoribus non attentis transisse, ea parte quæ in longitudinem rectam producebatur incurvata, in characterem literæ quæ sextus numerus designatur, Ἔ sic errorem hunc ortum.* Sed nec Gor-

I 5

dus

(p) Comment. in Joannis Cap. XIX. In eandem abit sententiam Hieronymus in Psalm LXXVII, nisi quod is non Joannem ex Marco, sed Marcum ex Joanne emendandum existimet. Hieronymo præter Tb. Cajetanum & Melch. Canum suffragantur Gerb. Joh. Vossius harm. Evang. Libr. II, cap. 7. sect. 6-9. & Petavius de doctr. temp. Libr. XII. cap. 19.

dius hic nodus tam esse intricabilis videtur, ut ista potius diffecari quam alia solvi ratione debeat, nec in unanimi Syri, Arabis & Latini Codicis consensu contra Codicis Græci auctoritatem mutationis causam video, nec per notas numeros in primigeniis Codicibus fuisse scriptos ullo argumento constat. Arabicus Novi Testamenti Interpres Marcum crucifixionis, Joannem vero diei indicare horam existimat, dum Marci verba ita transfundit, & *illud* (vestium scilicet inter milites divisio) *contigit in tertia hora quum vel a quo crucifixus erat.* LUDOV. de DIEU diligentissimus Antiquitatis Orientalis ruspator, sextam Joannis horam Romanorum, tertiam Marci Judæorum more existimat accipiendam. Accusationes enim Sacerdotum adversus innocentissimum Salvatorem nostrum a summo mane usque ad sextam fere Romanorum, qui naturalem diem, ut etiamnum obtinet, a media nocte incipiunt, horam, quæ Judæorum & diei ipsius prima erat, qua, ut habet Joannes, Christum omnium ludibriis Pilatus exposuit, durasse, inde Pilatum in tribunali denuo consedisse, Jesum dimittere rursus tentasse, obnitentibus Sacerdotibus sententiam tulisse, militibus tradidisse, milites cuncta ad supplicium parasse, ad supplicii locum itum esse, hora denique, quæ Romanis & nobis nonam facit, tertia juxta Marcum, in crucem fuisse actum Salvatorem arbitratur. (q) Judæorum suam sententiam confirmat testimoniis, וקיימה לן דישו בבקר נתלה, כי כל דיני ישראל אלא בבקר עד עת אכילה *constat nobis,*

(q) *Lud. de Dieu* ad Marc. cap. XV, vers. 25,

nobis, Talmudistarum inquit caterva, *Jesum mane suspensum fuisse, quia omnia judicia Israelis tantum mane sunt, usque ad tempus sumendi cibi.* Judæis Judæos opponimus, quibus tritum est illud כערב פסח תלאוהו לישו, *in vespera Paschatis suspenderunt Jesum.* (r) Non multum ab hoc scopo abludit Cardinalis BARONIUS, (s) nisi quod aliam horas supputandi rationem iniverit, dum in quatuor secando quadrantes, quadrantes ab
ulti-

(r) Sanhedrin. fol. 43. col. 1.

(s) In Annal. Eccles. ad ann. Chr. 34. Sect. 157-160. *Baronii sententiam alii Viri doctissimi quoque amplectuntur, in quibus sunt Calvinus, Heinsius, Grotius, Maldonatus & alii permulti. Aliam præterea Joannem cum Marco in concordiam redigendi viam ineunt, qui Marcum de crucifigendi actus initio, Joannem de ipsa patratione & in crucem actione verba facere, illud tertia, hanc sexta Judæorum hora contigisse, autumant.* Ἐπει ἐκ τότε σταυρῶσαι καὶ τιμωρῆσαι οἱ δικασαὶ λέγονται, ἀφ' ἧ τὴν ἀπόφασιν ἐξενέγκωσι, διὰ τὸ τὴν δύναμιν τῆς τιμωρίας καὶ τῆ θανάτου ἐν ταῖς γλώσσαις κεκτῆσθαι, τέττα χάριν ὁ Μάρκος τῆ τρίτῃ ὥρᾳ σταυρωθῆναι αὐτὸν λέγει, ἀφ' ἧς ὁ Πιλάτος τὴν ἀπόφασιν ἐξήνεγκεν. Ἰωάννης δὲ ὡς εἰρηκόλος τῆ Μάρκος τὸν καιρὸν τῆς ἀποφάσεως, αὐτὸς ἴδῃ ὥραν, ἐν ἧ Ἰὸν Κύριον ἐσταύρωσαν ἔφη, *quia crucifigere & punire ab eo tempore dicuntur judices quo sententiam proferrunt, quia vis pœnæ & mortis in linguis quoque est, ea de causa Marcus tertia hora crucifixum eum dicit, a qua Pilatus sententiam exposuit. Joannes autem, cum Marcus dixisset tempus sententiæ, bo-*
ram

ultima ejusdem hora numerando, ut primus hora tertia, secundus hora sexta, nona tertius nuncupetur, sicque Servator mundi hora juxta Marcum tertia, hoc est primo diei quadrante ferme absoluto, vel quod idem sit juxta Joannem hora quasi sexta, hoc est secundo diei quadrante paulatim appropinquante, a Judice omnium quos Sol aspexerit unquam iniquissimo capitis condemnatus, ac de cruce suspensus sit. Cum autem tot, quanta Evangelistæ a Christi e foro Ecclesiastico ad Politicum Pilati tribunal deductione ad usque ejus crucifixionem contigisse recensent, tam exiguo quod a summo mane ad horam diei tertiam, nostro Romanorumque calculo nonam, extenditur temporis intervallo evenisse omnium ferme fidem superet, faciliorem nostro quidem arbitrato computationis modum monstrabimus. Per horam scilicet in Marco tertiam, tertium diei quadrantem, stylo si non profanis, sacris tamen Auctoribus perquam usitato, per horam vero in Joanne sextam, sextam e duodenis diei partem intelligimus, ita ut uterque Evangelista meridiem solita periphrasi circumscribat. Arietem quo hæc nostra convelli opinio videtur non ignoro. Tenebras quæ ab hora, testibus Apostolis, sexta terras post Christi crucifixionem absconderunt prætendunt, quarum inter exortum ac Pilati vocem tempore

ram in qua Dominum crucifixerunt dicit. Verba sunt Theophylacti l. c. Præter Augustinum, eadem explicatio placet Jac. Lydio in flor. sparf. ad pass. J. C. pag. 194. & Steph. Morino de horis salvif. passionis pag. 77. & seq.

pore opus non modico fuerit, ut Dominus condemnaretur, traderetur, extra urbem ad supplicium duceretur, irrideretur, crucifigetur. Verum enimvero *eis το ἀφ' αὐτῶν καὶ μὴ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ* unde prodiit aries iste redibit, si utrobique Evangelistas voculam *ῥωσῆ* vel quasi, quæ suam habet latitudinem adhibuisse advertes. Circa sextam paulo post futuram Pilatus & Messiaë & Judæis illudit, circa sextam paulo post præteritam universi oculus Conditoris sui illusionem sacco tenebrarum induto luxit. Coronidem igitur huic addat animadversioni *μνησθῆναι τῶν ἱερῶν* Talmudistarum maxima, *לֹא הָקִדְקִים הַמִּקְרָא בְּחֻשְׁבוֹנוֹת* sacrarum literarum contextus scrupulosa quadam indagine temporum spatia per singulos suos punctos non semper dimittitur, sed ex communi quadam consuetudine, absque tamen errore aliquando loquitur.

§. XXV.

Diutius quidem æquo Chronologiæ Passionis Dominicæ vindicandæ inhæsimus, hanc vero nobis digressionem Verpulorum extorsit malitia, qua in Chronologia Messiaë nostri contexenda, non tantum ab Evangelio dissentiunt ipsi, sed & Christianis dissensum probro vertunt. Propositum erat, quam sint Mysorum, quod proverbio dicitur, ac Phrygum termini discreti, Apellas scilicet corde blasphemio ipsam Christi inscite ac maligne vellere historiam, Christianos diverso duntaxat tempora interpretari modo, propositum inquam erat, ita hoc reddere perspicuum ut oculis judicari possit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Christianam autem Dominicæ Passionis invertisse chronologiam satis non habent Verpuli. Vertiginosis etiam somniis insulsisque fabellis Evangelicæ Historiæ elevare veritatem pergunt, Jetum non Hierosolymis sed in Lud sive Lyddæ, quod oppidum iter dici ab Hierosolymis distare dicitur, in vincula fuisse conjectum, in Talmude Germanicus calumniarum Judaicarum Apologista (t) se legisse perhibet. Quotus vero quisque impostorem hunc de suo Lud ludentem, lugendasque legendas, quas alii dicunt, deblaterantem sibilis non explodat ?

§. XXVII.

His plane supparia de Messia nostri in carcerem, ut nugantur, compacti examine Talmudis mendacia sunt. Filio Stadæ (horrenda absit blasphemia) duos sapientum discipulos in Lud insidias struxisse, eumque compedibus licet constrictum in idololatria persistentem aliosque seducentem observasse, ac propterea ad Judicis tribunal traxisse, Talmudistæ somniant. Sic enim in Talmud Babylonico, (u)


כל חייבי מיתות שבתורה אין מכמינן עליהן
חוץ מזו כיצד עושין לו מדליקין לו את הנר
בבית

(t) R. Salomon Zevi in libro superius citato. In Talmude autem quid ea de re extet vid. pagr. 27.

(u) Sanhedrin cap. 7.

בבית הפנימי מושיבין לו עידים בבית החיצון כדי שיהיו רואין אותו ושומעין את קולו והוא אינו רואה אותן והלה אומר לו אמור מה שאמרת לי ביהוד והוא אומר לו והלה אומר לו היאך גניח את אלהינו ונעבד עז"א אם חורג בו מוטב ואם אמר כך היא חובתינו וכך יפה לנו העדים ששומעין מבחוץ מביאין אותו לבית דין וסוקלין אותו וכן עשו לבן סטרא בלור *nulli, ex omnibus qui mortis rei sunt ex lege, insidia collocantur nisi isti, seductori scilicet ad idololatriam. Quomodo faciunt id ei? Accendunt ipsi candelam in conclavi interiori, & testes collocant in cubiculo exteriori, ut hi ipsum videre & vocem ejus audire possint, sed ipse non videat illos. Tum ille quem antea conatus est seducere dicit ei, repete quæso id quod antehac dixisti hic privatim. Tum si id dicat hic regerit ei, quomodo relinqueremus Deum nostrum, & serviremus idolis? Ad hoc si convertetur & respiscet, bene est: Si vero dicet, hoc est officium nostrum atque ita omnino decet nos facere, testes exterius ipsum audientes, eum ad domum judicii abducunt & lapidant. Sic fecerunt filio Stadæ in Lud, & suspende- runt eum in vespera Paschatis, Et expressius in Talmude Hierosolymitano, (w) כן עשו לבן סטרא בלור שהכמינו לו שני תלמידי חכמים והביאוהו בבית דין וסקלוהו* *sic fecerunt filio*

(w) in Sanhedrin cap. 7. & Jebammoth cap. ult.



filio Stadæ in Lydda, cui duo discipuli sapientum insidias struxerunt, eumque ad Judices abductum lapidarunt. O horrenda Diabolicarum blasphemiarum plaustra? Filium Stadæ Messiam nostrum διαβολοι illi, ignoscite si suo ipsos nomine appello, vocitant. (x) Quod quid sit non exprimo, sed auribus parco illorum quos blasphemia illa latet, cujus iustas paucos ante annos in hac ipsa Urbe blasphemus Apella poenas dedit. Quomodo autem febricitantibus istis ac somniculosis homunculis vel καὶ ὄναρ crassum de idololatria Christi figmentum irreperere potuit? (y) At enim veram de duobus falsis testibus, quorum Matthæus meminit, (z) historiam, in blasphemam hanc commutasse fabulam videntur. Patet igitur & hujus mendacii ulcus.

§. XXVIII.

Pluma similiter gravior non est, quam insignes illi nugatores fabellam fabricarunt, de præcone qui quadraginta diebus captivum præcesserit Messiam & quoslibet ad ejus patrocinium hisce invitaverit verbis, יוצא ליסקל על שכישיף והיסית והידיח את ישראל כל מי שיודע לו זכות

(x) Sunt inter Rabbinos, qui ut gentis suæ malitiam tegant, per filium Stadæ Jesum nostrum designari negent, contrarium autem probant *Buxtorfius* in *Lex. Talmud.* p. 1460. & *Eisenmengerus* in *Judaismo detecto* part. 1. pag. 133.

(y) Inter crimina propter quæ Christum neci datum esse Judæi blasphemant, idololatriam ubique referunt. Vid. *Eisenmengerum* l. c. p. 153. & 186.

(z) Cap. XXVI, vers. 60.

Ministri, juxta eum Præco prædicabat, hoc est mandatum Pilati, nomine Tiberii Cæsaris, ut hic Jesus Nazarenus capitis supplicio afficiatur, quia homines seduxit, seque Regem & Filium Dei vocavit. Estne ovum ovo similius? Hæc אֵין אֶרְוָה, in transitu. Rem vero ipsam quod concernit, nimiam in suppliciiis irrogandis præcipationem sera sæpius & inutili se torfisse pœnitudine, vel ex una Theodosii ac Ambrosii historia norunt, quotquot nonnihil norunt. Moris id etiam in Judæorum fuisse republica, ut ante præco rei & delictum & supplicium indicaret, sæpiusque Judices retractarent, quidquid in rei facere favorem poterant, quam pœna exacta fuit, Hebræorum monumenta declarant. Quam vero longissime ab hoc instituto suo Θεοκτόνος recesserint, nimia festinatio, testium falsorum conquisitio & unanimis in necem infontis conspiratio, furibundum denique illorum crucifige crucifige, satis superque arguunt.

§. XXIX.

Fuit quidam Vir Seculi hujus haud ineruditus (c), qui Salvatorem nostrum per integrum totius septimanæ curriculum in improborum manibus hæsisse in vinculis statuit. Cujus vero sententiæ redarguisse novitatem di-

(c) Quantum ex Auctoris Diario Itinerario, quod hoc loco citavit in autographo, cognoscitur, fuit is *Raph. Eglinus*, Theologus primum Tigurinus, polthac Marpurgenfis.

dicuntur, non Ignatii Loyolæ duntaxat discipuli, sed ex nostris etiam Viri Celeberrimi, Rev. præsertim ac Clar. Magister ANDR. WIDMARIUS Ecclesiæ Bremensis Pastor, sicut ex ejusdem Filio D. ABDIA WIDMARIO Sene Venerabili, Theologo solidissimo, Professore Groninganae Frisiorum Academiae Celeberrimo, Hospite olim nostro liberalissimo, Præceptore semper colendo, coram audivisse me probe probeque memini. Mirum quidem Celeberrimi illius Viri foetum, si monstrum esse nolis, videre hactenus non licuit, quantum vero judicare sine præjudicio licet, Vir doctus de nodis, quos in scirpo non tam quærit quam ipse facit, fuisse anxius videtur, eos contra hominum animis infundit scrupulos, quibus nec Elias eximendis esset, quemadmodum ex Historicorum, Chronologorum, Mathematicorum ac Philologorum dilucidari, observationibus posset, si id nunc ageremus (d).

§. XXX.

Suorum tandem mendaciorum tela contra acerbissimum ac ignominiosissimum supplicii Dominici genus Talmudistæ vibrant, vivum cruci fuisse affixum negant, lapidatum *ως εν τριποδος* dicunt. Quatuor in Judæorum Politia supplicii capitalis olim fuisse genera tradunt,

K 2

(d) Non minus insulsa est fabula ab Auctore Libri Toledot Jeschu conficta, Christum a Festo Expiationis usque ad Pascha in compedibus fuisse. Vid. pag. 68-87.

tradunt, quorum mitissimum fuerat strangulatio, qua reum in finem usque ad genua immergebant, & linteum durum tenuiori ac molliori insertum collo ejus circumligabant, quod testes ab utraque ejus extremitate ad se tam diu trahebant, donec animam exhalaret. Strangulatione inter Judæos gravior censebatur *הריגה* supplicium gladii, quando damnatis caput trunco impositum præcidebant. Major utrisque species *שריפה* combustio putabatur, qua reorum ori candens illiquare metallum solebant. Omnium autem gravissimum penes ipsos erat supplicium *סקילה* lapidatio, qua lapidibus jactis enecatam de stipite manibus colligatis suspendebant. In blasphemos & idololatrias, crimina omnium maxima, hoc supplicii genus statutum fuit. Hinc Messiam nostrum, quem blasphemix & idololatriæ blasphemi Christidarum posteri incusant. lapidibus primo obrutum, postea suspensum contendunt (e). Hic autem supinam domesticæ Historiæ ignorantiam cum malitia produnt Verpuli, cumque illis in illuni quasi nocte valde multumque errant, qui Christum Judæorum more cruci

(e) Vide loca ex utroque Talmude sect. 27. Christum autem non lapidatum sed cruci fuisse affixum, non Evangelicæ tantum Historia, sed & Tacitus testatur Annal. Lib. XV. cap. 44, auctor inquit nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.

cruci adjudicatum putant (f). Omnes Evangelistæ una voce reclamant. Et quid multis? Non licere sibi quemquam occidere, Judæorum a Romanis subactorum ad Pilatum vox est, quam ex veteribus æque ac recentioribus alii ad Festi duntaxat tempus (g), ad supplicii genus crucem scilicet alii (h), alii ad læsæ Majestatis crimina (i), quibus in ca-

K 3

libus

(f) *Car. Sigonius* Vir de Antiquitatum studio præclare meritis, *Libr. VI. cap. 8.* de Republica Hebræorum, supplicium crucis Judæis quoque in usu fuisse tradit, quem secuti sunt *Just. Lipsius* de cruce *Libr. I. cap. II.* *Gretserus* de cruce *Libr. I. cap. 19.* *Baronius, Menochius & alii.* Contrarium confirmare videtur Judæorum dictum, דבר זה לא היה בישראל לתחוב המסמרות ברגלי וירי אדם הנסקלין והנתלין, non fuit hic mos in Israele, ut clavos figerent in pedibus atque manibus hominum qui lapidati aut suspensi sunt.

(g) In his sunt, præter *Augustinum & Chrysostomum*, ex recentioribus *Seldenus, Wagenseilius, Cloppenburgius*, & alii plures, ad *Majmonidis* verba provocantes, אין דנין דיני נפשות לא ערב שבת ולא ערב יום טוב, *judices rerum capitalium non judicant in parasceve Sabbati, aut in parasceve Festi.*

(h) Hæc restrictio placet *Theophylacto, Musculo, Aretio, Meryllio, Wissembachio*, aliis multis.

(i) Vide præcipue *Bynæum* de morte J. Christi *Libr. III. cap. I. sect. 14.*

sibus occidere quemquam vel Hypocritæ noluerint, vel aliena sub potestate non potuerint, angustioribus vero cancellis, restringunt. Sed verior doctiorum e recentioribus est sententia, qui e libris Talmudicis *Juchasin* & aliis demonstrant, judiciorum capitalium potestate Judæos tum caruisse, adempta ipsis paulo ante, scilicet quadraginta circiter annis ante Templi excidium, ut ipsi Rabbini scribunt (k). Causam juxta suas cognoscere leges, ac *ἐνοχον τῆς θανάτου* mortis reum declarare poterant, ultimam ferre sententiam eamque exequi non item. Si qui aliquando a Judæis sunt interfecti, id factum est, juxta GROTIUM, motu populari, quanquam interdum quoddam Senatus præcesserat præjudicium, quo reis omnia Judæorum *προνόμια* ademit, cunctorum eos libidini exposuit, ita ut nihil in eos illicitum esset.

§. XXXI.

Atque hæc de historicis quibus Muhammedani ac Judæi Dominicam arietant passionem monstris, & quibusdam nonnullorum Christianorum simili in materie erroribus mone-
re

(k) Huc facientia Rabbiorum testimonia vid. in *Buxtorfii Lexico Talm. Rabb. pag. 514. 515. l'Empereurii* not. ad *Bertr. de rep. Jud. cap. 13. & Raym. Martini* pug. fid. part. II. cap. 4. *Jof. Scaliger* jam 61. ante Hierosolymorum casum annis jus vitæ & necis Judæis ademptum fuisse conjicit. Vid. *Ejus animadv. in Eusebium.*

re habuimus. Si ad alteram tractationis nostræ transire partem daretur, sphalmata Christianis propria veritatis incernenda cribro, mendaciorum ac conjecturarum fabula ab Historiæ Evangelicæ discernenda pabulo venirent. Dicendum foret, de durissimo Servatoris in horto agone, de horrenda Catabaptistæ cujusdam Basileæ superiori seculo flammis exusti blasphemia, de Angelo cœlitus advolante, de sanguinis sudore, de Judæ siclis, de Proditoris osculo, de Pontifice summo, de Juvenis sola sindone induti persona, de colapho Servatori inflictio, de Petri lapsu, de Judæ interitu, de flagellatione, de spinarum corona, de Pilati sententia, de sudario Veronicæ eique impressa Salvatoris imagine, de Mariæ & Christi occurso, de erroneo Ahasvero, de duodecim Israelis tribubus, de crucis materia, forma & titulo, crucifixionis modo, clavorum numero, Calvariæ loco, de vino myrrhato cum felle mixto ejusque vasis, de Servatoris siti, aceti potu ejusque propinati instrumento, de Latronibus, de ossium fractura, de lateris apertione, aquæ sanguinisque fluxione, de Longinis, de sanguine a Θεολόγος collecto, de crucifixi lucta, Eliæ invocatione, vestium distributione, crucifixi vestitu, de morte Panos, vocis in Templo auditæ tenore, de tenebris, de velis Templi scissis, superliminari ejusdem fracto, crucis in Bethesda virtute, e sepulcris prodeuntium conditione, de Nicodemo & Josepho ejusque myrrha, de Matre sudario caput Filii detergente, de imagine sudario impressa, de Christi sepulcro, faciei in eodem situ, de militum custodia, de animæ

ad inferos descensu. Etsi de quibusdam aliis reperiantur vel profanorum mendacia, quæ retulisse retudisse est, vel Monachorum mangonia, vel supplementa quibus veritas opus non habet, vel sciolorum conjecturæ quæ magis plerumque acuræ quam solidæ sunt. Hæc si cuncta dilatare atque exequi plenissime vellem, tanta rerum copia exuberaret. ut tempus me citius quam materies deficeret. Sed si qui caducis fabularum delectantur glandibus, sibi eas servant, Sacrarum Literarum nobis fruges relinquunt. Relinquimus quibus sapiunt conjecturarum filiquas, Evangelii nucleum nobis servemus.

§. XXXII.

Colophonem addam, ubitacitam, quæ quorundam mentibus insidere posset, suspicionem tribus, quæ sufficient, verbis expurgavero. Quid, iniquas, hoc tempore & loco Muhammedanos & Judæos aliosque absentes tam verbosa perstrinxisse oratione, incognita nobis hisce in terris, vel nunquam vel raro visa, debellasse monstra, in tenebris Andabatarum more ventilasse gladium quid juvat? Quis inter fideles & orthodoxos disceptationis hujusce finis & usus? Nullus, fateor, vel exiguus. Imo; si Paulino semper obsequium præstaremus monito, μή γέννηθε ἐλεγοζυγῶντες ἀπίστοις, ne impari jugo copulamini cum infidelibus (l). Imo; si illi essemus jugiter sancti, quos inter Paulus talia ne nominari quidem pateretur. Imo; si ab illis procul remori essemus diebus, quibus irrisores in suis ipsorum incedentes

(l) II. Cor. VI. vers. 14.

cedentes voluptatibus venturos Petrus prædixit (m).
 Cum vero non sit in fato, quod est in voto,
 directa contra orthodoxiam spicula veritatis
 non repellere clypeo non possumus.

§. XXXIII.

• Alii fieri potest sunt, qui blasphemias &
 heterodoxas, de quibus sermocinati sumus,
 opiniones nobis imputari, vel iis saltem no-
 strum titillari animum verentur. Metuerem
 sane nisi a nostro nostræ dissertationis filo,
 quo quidquid textitur mea esse tela absque
 injuria videtur, disertis verbis, & nomine
 Auctorum expresso, aliorum vel blasphe-
 mias, vel mendacia, vel opiniones distin-
 xissem. Nisi decenti modo, quippe non dis-
 ferendo sed referendo, non cachinnos per-
 versos sustollendo, sed summum horrorem
 testando, non veritatem fugillando, sed er-
 rores improbando, non propugnando sed
 impugnando cuncta proposuissem. Alii
 plenis faucibus πολυθρύλλητον illud ingemina-
 bunt, *veteres hæreses edisserere est eas serere.*
 Quibus vero responsum velim verbis Viri
 celeberrimi, de Schola & Ecclesia nostra
 meritissimi (n), *novi, inquit, quidem illud πολυ-
 θρύλλητον, veteres hæreses edisserere, est eas serere.*
*Sed nec hoc me latet, aliam esse rationem docendi
 in Templis coram plebe, aliam instituendi in Scho-
 lis eos quos veterum βδελύγματα fugere non debent,
 ut oīum possint ἰὸς ἀντιλέγουσας ἐπισομίζειν.* Nec est
 quod hinc Scholas ac Auditoria quæ pieta-

K 5

tis

(m) II. Petr. III. vers. 3.

(n) Fel. Wyssii in præfat. ad anal. Catech. Tigur.

tis, virtutis, bonarumque literarum officinæ sunt, Theomachorum conventicula, blasphemiarum esse receptacula, in quibus cœlum petere, sacra omnia ridere pro lubitu liceat, arbitreris. Procul ab auribus! Aliud est disputare aliud blasphemare. Solent interdum, inquit BENEDICTUS benedictæ memoriæ & ^{ἀπέλης} ARETIUS (o), etiam boni Viri dissidere in rerum explicationibus, nec non in interpretandis interdum Scripturæ locis, sed hoc faciunt sine insectatione & convitiis. Inprimis vero a blasphemis sibi temperant, non est enim piæ mentis rem ipsam de qua controversia est insectari & proscindere. Qui de Christianæ fidei articulis juxta leges Logicas relicto convitiis velabro disputant & differunt, sunt in Academiis accepti; qui vero in ejusmodi exercitiis non tam disputandi æstu abripiuntur, quam calumniandi cœstro percelluntur, Deo hominibusque sunt invisi, in Academiis non feruntur, non audiuntur, ut neminem nisi in hoc stadio & studio peregrinum fugit. Unum exemplum legimus (p), de Simone Churnay Theologo Parisiensi, qui anno supra millesimum ducentesimo primo, in Schola Parisiensi, post habitam omnium cum applausu de S.S. Trinitate disputationem, insolentiori fastu abreptus, in hæc temere prorupit verba, o Jesule, Jesule quantum in hac quæstione confirmavi legem tuam & exaltavi, profecto si malignando & adversando vellem, fortioribus

(o) *Aretii* loc. comm. p. 1100.

(p) *Spondanus* in annalibus.

bus rationibus & argumentis scirem illam infirmare & deprimendo improbare. Sed ibidem illius pœnam, qua hoc dicto penitus obmutuisse sapientiaque illius infatuata esse dicitur, legimus.

§. XXXIV.

Enimvero ne plenis velis & remis ventisque adversis novisque pelagi tempestatibus agamur, ne suspicione una remota novam præbeamus, vela contrahemus, ac portum *ἰερισπόθην* peturi, in præsentem quam celebramus temporis solemnitatem oculos conjiciemus. Parasceve Paschalis illa est, quam Paschæ pervigilium in primitiva Ecclesia excepit. Noctem quæ Paschatis sive Resurrectionis Festum præcessit ita vocarunt, quam *μεγάλην ἡ πάσχα διανουκίερευσι* EUSEBIUS dixit, quæ GREGORII NAZIANZENO & NYSSENO testibus, flammis ac luminibus coruscavit, in qua ad medium usque noctis Christi adventum in cœtibus conjuncti expectarunt, quod ex Judæorum de Messia in media nocte, in Ægyptii temporis similitudinem, venturo opinione ortum traxisse HIERONYMUS rebatur. Judæorum traditionem non moramur, vigilias carnales, quas propter abusum jam olim Christiani in diurna commutarunt jejunia, non desideramus, id tamen omne nobismet applicamus sensu anagogico. Christum qui in nobis vivere deberet, peccatis nostris in crucem agimus, corpus Domini, Domini verbum ac auctoritatem quotidie sepelimus, humo infidelitatis ac inobedientiæ injecta
magis

magis magisque contegimus. Sole hoc ablato densissimis cuncta nigrescunt tenebris. Tenebræ sunt indurationis, Cimmeriis quibusque ac Ægyptiacis spissiores, ut nosmet videre ipsos, ut nosmet cognoscere ipsos nequeamus. Infausta oboritur nox calamitatum, quas densissimis plaustri funibus attrahimus, quas misericordii sed & iusto Deo quasi invito extorquemus. Rebus ita constitutis quid fieri opus est? Vigilemus, jejunemus, oremus. Non tam cum Discipulis ingemiscamus, *mane nobiscum Domine, quoniam advenascat & dies inclinavit*, quam supplici potius & voce & mente clamemus, *redi Domine*, quia jam media indurationis nox est, mentes nostras Verbi & Spiritus tui Sancti lumine collustra, tenebras fuga, ut ne æternarum tenebrarum sint præludia, teterimas calamitatum Patriæ imminentium nubes potenti indebitæ gratiæ vento pelle, tristissimam universalis quam meremur ruinæ noctem illustri tuo adventu anteverte.

Veni Domine, etiam
veni.

JOANNIS

JOANNIS MULLERI

Theologiæ Professoris Celeberrimi, Cano-
nici Dignissimi

VITÆ HISTORIA,

Adornata

A

JOH. RODOLPHO RHANIO,

V. D. M. *

Virorum clarorum, atque de re vel pub-
lica vel literaria præclare meritorum,
vitas & fata describere, atque ad se-
ros usque nepotes transmittere, omni
ætate apud bonos omnes magnis in laudibus
fuit. Quidni enim pium esse censeamus, de-
functorum celebrare memoriam, quorum
L viven-

* In adornanda hac Vitæ Historia multum me ad-
juvit Venerandi Pastoris Vitodurani, *Mulleri*
nostri ex Fratre Nepotis, Bibliothecæ ejus &
Manuscriptorum Hæredis, propensa voluntas,
quam nisi publice laudarem in pietatem peccare
merito dicerer. Is enim præter Diarium Itine-
ris satis prolixum, biographiam quoque am-
plissimam ab ipso Patruo suo contextam, at ad
annum duntaxat MDCLXII continuatam bene-
vole ad me transmisit.

viventium studia in eo unice fuere, ut Creatoris gloriam hominumque salutem pro virili promoverent? Cumque Viri eruditi Patriæ etiam suæ decus haud vulgare concilient, in patriam peccari recte dicas, si eorum virtutes celentur silentio. Quid? quod ejusmodi labor ad Dei, cui omnia corporis animique ornamenta accepta referenda sunt, gloriam celebrandam haud parum conducit. Accedit denique quod hac ratione ad virtutis studium homines facillime incendantur. Nemo itaque mihi vitio, spero, vertet, quod Eruditissimi, de Ecclesia, de Schola nostra Meritissimi Viri JOANNIS MULLERI, cujus semper honos, nomenque laudesque manebunt, vitam atque fata, rudi licet describere Minerva in animum induxerim meum. Quamvis ea mihi desit peritia, ut Incomparabilis Viri virtutes vivis depingere possem coloribus, id tamen addit animum, quod virtus ipsa sua se pulchritudine commendet, nec verborum fuce habeat opus.

MULLERUS ergo noster lucis venit ad auras Groningæ, agri Tigurini haud ignobili Vico, pridie Nonarum Junii anno MDCXXIX. Patrem habuit JOANNEM MULLERUM, Grammateum Groninganum, Cohortis Militaris Tribunum, postea Ducumvirum, Virum de re nostra publica

optime

optime
Januar
suprem
RIA,
Non
antiqu
lia,
taxat
ribus
fules
tistide

A
Parv
rum
im
ulus
men
fibus
laud
legit
enni
fii fu
sua a
tidie
rius
discip
mode
TON
WH
que

optime meritum, qui sexto ante Idus
 Januarii a. MDCLVIII. Tiguri diem obiit
 supremum. Mater erat JOANNA PAU-
 RIA, foemina proba, frugi atque sedula.
 Non obituro itaque natus loco, sed ex
 antiqua, nobili & patritia ortus est fami-
 lia, cujus ea est laus, quod non olim dun-
 taxat Viros Equestri Ordine ab Imperato-
 ribus nobilitatos, sed etiam posthac, Con-
 sules, Senatores, Tribunos, Sacrorum An-
 tistites, Theologos nobis dederit.

Anno MDCXXXVIII MULLERI nostri
 Parentes Optimi mutatis sedibus Tigu-
 rum concesserunt, Filiumque hunc ludo
 immiserunt Literario, ubi, infirma licet
 usus corporis valetudine, prima artium rudi-
 menta feliciter addidicit. Scholarum clas-
 sibus non sine industriæ ac profectuum
 laude superatis, anno MDCXLV in Col-
 legium Humanitatis, atque ut mos est bi-
 ennio post ad superiora Illustris Gymna-
 sii subsellia admisus est. Ibi de industria
 sua adeo nihil remisit, ut in Literis quo-
 tidie proficeret, atque inter æquales cla-
 rius exsplendesceret, quam generosi con-
 discipuli æquo ferrent animo. Studia ejus
 moderati sunt Viri Celeberrimi PETR.
 TOMMANUS, ROD. STUCKIUS, JOAN.
 WIRZIUS, FEL. & CASP WYSSII, at-
 que Magnus ille in Literis Heros HENR.

HOTTINGERUS. Horum expectationi abunde semper fecit satis, talemque se præstitit, ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere possent, talem eum futurum qualem cognitum judicarunt. Linguarum maxime Orientalium addiscendarum incredibili flagrabat desiderio, qua in re insignem ei navavit operam **HOTTINGERUS**, apud quem intimæ erat admissionis, quove duce harum linguarum notitiam non mediocrem sibi comparavit. Vicenarius enim non Codicem modo Hebræum ad aperturam, quod ajunt, exponere, sed ex Chaldaica quoque Paraphrasi, Syriaca Novi Fœderis versione, & Arabicis **ERPENII** adagiis, ubicunq; tentaretur in Latinam transferre linguam apprime didicit. Linguas etiam Orientis alias, Æthiopicam, Samariticam, Persicam ad miraculum calluit.

Absolute in Patria studiorum stadio, laetius ea proferre, atque ex aliorum eruditionis penu ditescere voluit. Non enim sufficere sibi ratus est eos doctrinæ fontes quos hiantem ore in Patria imbiberat, sed ut peregrinis quoque sapientiæ præceptis ingenium misceret, hortantibus Scholæ Præsidentibus, aduentibusque Parentibus, iter instituit Literarium. Comite itaque Fratre optimo, tertio ante Nonas Aprilis anni **MDCLI** patriam Urbem reliquit, Bernam ac Genevam, vicinas ac foederatas Urbes adiit, ibique Viros Clarissimos, *Hummelium*, *Robrium*, *Luthardum*, *Hallerum*, *Legerum*, *Tronchinum*, *Mestrezatium*, & *Frid.* inprimis *Spanhemium* salutavit. Geneva profectus Galliam peragraræ
coepit,

coepit, Lugdunum, Arausionam, Massiliam, Arelatem, Montem Pessulanum, Nemausum, Tosam, Montalbanum, Burdegalam, Ruppellam, Pictavium, Salmurium, Aureliam, Parisios, Cadomum, Rothomagum, Urbes alias celebres, atque in iis degentes Viros Doctissimos *Derodonem, Delonium, Garissolium, Verderium, Ferrandum, Boherellum, Vincentium, Drelincourtum, Cottibium, Amyraldum, Placeum, Capellum, Druetum, Dallaum, Mestrezatium, Faucherium*, alios quos prætereo, vidit. Perlustratis Galliae Provinciis, Rothomagi navem conscendit, qua vectus, superata vehementi tempestate, 6. ante Cal. Novembris anni ejusdem Amstelodami feliciter appulit. Ibi atque etiam Lugduni in Batavis, Viris Clarissimis, *Hottono, Blondello, Gentio, Menassi Ben Israel, Junio, Spanhemio, Golio, Thysio, Coccejo, Hornbeckio, Heidano, Heinsio, Barlaeo, Triglandio, Boxhornio, Uchtmanno*, aliis, innotuit. Visis præcipuis Belgii Urbibus, & relicto Fratre hæctenus itineris socio, Groningam nobile Musarum Emporium, per tempus ibi commoraturus, petiit. Floruere tunc temporis in ea Academia Viro toto Orbe incltyti, *Sam. Maresius, Abd. Widmarius, Jac. Altingius, Matthias Pasor, Tob. Andreae*. Horum diligenter frequentavit tum publica tum privata collegia, his totum se limandum dedit, magnaque cum attentione præcepta eorum audivit. Usus quoque est Rabbini cujusdam, *Simonis* nomen ei erat, ad legendos tractatus Mischnicos eorumque commentatores, opera. Ipse vero bonarum literarum studiosis haud paucis, *Maresii* ipsius filiis, ut docendo disceret, in tradendis

Orientis linguis sedulam navavit operam. *Henrici* quoque & *Christiani Thibautiorum* Mediodurgensium, atque postea *Theod. Muſtardi* Embdani, moderatus est studia, cumque his primum *Mareſii*, dein *Widmarii* menſa ſaleque uſus fuit. Anno MDCLIV. Weſt-Friſiam peragrare, atque Franeckeram imprimis adire conſtituit, ubi aliquantiſper moratus cum *Arnoldo*, *Schotano*, *Wiſembachio*, *Fullenio*, *Wolferdo*, *Matthæo*, amicitiam contraxit. Menſe Julio anni ejuſdem exeunte, Groningæ (ubi bonis omnibus ita ſe probavit, ut ſummos in Theologia honores ipſi plus ſemel Academiae Curatores offerrent) valedixit, atque per Daventriam & Harderovicum, ubi *Gronovium*, *Dieſtium*, *Sibelium*, *Hornium*, & cæteros ibi degentes Viros doctos inviſit, Roterodamum contendit, inde navigaturus in Angliam. Londini feliciter appulit, Oxoniam quoque & Cantabrigiam acceſſit, ædificia Regia & Academica, Bibliothecas inſtructiſſimas vidit, & viros ubique doctiſſimos adiit, a quibus omnibus humaniter erat exceptus. Ex Anglia ſe contulit in Flandriam, cujus urbes nobiliores, *Dunquercam*, *Nieuportum*, *Oſtendam*, *Brugam*, *Gandavum*, *Bruxellam*, *Lovanium*, *Antvverpiam*, perluſtravit. Inde ruruſ conceſſit in Belgium, ibique Viros doctos quos ante triennium ſalutavit denuo convenit, humanitatem eorum non leviter expertus. Adeo nihil reliqui fecit, ut non vagari tantum, luſtrare, diſcurrere, ſed indagare, diſcere, magnorum Virorum amicitias neſtere, hoc eſt vere peregrinari dici poſſet. Nec Ultrajectum, celeberrimam Muſarum Palæſtrami ſib,

sibi prætereundum duxit. Eo cum venisset, in *Gisb. Voetii, Nitteni, Leusdenii, Essenii, Æmylii, Schurmannæ*, notitiam venit. Ultrajecto profectus Heidelbergam petiit, atque inde Argentoratum & Basileam, qua in urbe tres integros exegit menses, Virorum Celeberrimorum *Buxtorfii, Grynæi, Wetstenii, Gernleri, Werenfelsii, Beckii, Faeschii, Wollebii*, usus consortio. Iphis denique Martiis Idibus anni MDCLV, post integri quadriennii absentiam Tigurum, insigni eruditionis copia locupletatus, rediit.

Redux in Patriam, reddita itineris studiorumque ratione, pridie Cal. Maji anni ejusdem in Divini Verbi Ministrorum receptus est ordinem, ex quo tum in Urbe tum in Agro, quoties id officii ab eo requirebatur, frequenter & cum applausu ex suggestu verba ad populum fecit. Magno HOTTINGERO eodem anno Heidelbergam vocato, & ab Ampl. Senatu Heidelbergensibus ad tempus concesso, MULLERUS noster nihil minus ambiens, imo inscius hæc de se consilia agitari, a Scholæ Præsilibus constitutus est, qui vicariam pro HOTTINGERO in Historiæ Ecclesiasticæ Professione operam præstaret. Hæc provincia quam bene humeris ejus sederit, testimonio est quod elapso biennio unanimi consensu Ordinarius ejusdem Historiæ Professor creatus fuit. Insequente anno MDCLVI Theologiæ Catechetiæ in Collegio Inferiore Professio publica auctoritate ei imposita & priori illi adjuncta est, quam ille pari fide ac successu sustinuit. Anno MDCLVIII JOANNE WIRZIO Theologiæ apud nos Professore subita morte e rebus humanis sublato, HOT-

TINGERUS Heidelbergæ degens in ejus locum ita suffectus est, ut ad obeundum illud munus vicaria alterius ipsi liceret uti opera. Opera hæc vicaria votorum omnium destinatione a Venerando STUCKIO, Theologiæ Professore altero, in MULLERUM nostrum est translata. Sic igitur ille una Theologiam Catechetica, Historiam Ecclesiasticam, & Theologiam Dogmaticam docuit, & sustinens onus non simplex, nec unius viri, omnium tamen desideria facile exsatiavit. Publicæ institutioni privatam adjunxit, crebris etiam disputationibus non sine applausu eruditionis suæ exposuit thesauros. Quum anno MDCLX Diaconatus in Cœtu Petrino vacaret, multi erant sermones de MULLERO ad hanc stationem vocando. Scholæ quidem Proceres Eum in Schola judicarunt retinendum, ipse etiam in Academia Deo servire ob corporis maxime infirmitatem præoptavit, nihilo tamen minus a Cœtu Petrino 412. suffragiis electus est. Vix novum hocce munus est auspiciatus, eam ejus esse rationem expertus est, ut totum se requireret. Id itaque egit ut Scholæ Curatores triplicis Professionis onus a se transferrent in alium, quo demandato sibi in Ecclesia officio liberius posset vacare. Verum huic petitioni omnino satisfacere visum non est Scholæ Præsidibus, sed Historiæ Professionem ab eo porro ornandam judicarunt, quod onus, qua erat laboris patientia supra fidem eximia, nec abnuvit, nec grave sibi putavit. In utroque hoc munere ornando & tuendo, omnes ut par est ætatis, ingenii & industriæ nervos intendit. Studebat namque docta atque pia oratione

vitiorum radices ex hominum animis evel-
lere, & contrarias illis virtutes inferere.
Privatis vero sermonibus laborantibus opem
adferre, consolari afflictos, ægrotantibus
adesse, errantes corrigere, peccata in odium
adducere, pietatis studium excitare, unice
allaboravit.

Eodem anno vitæ thoricæ sociam sibi ad-
junxerat foeminam lectissimam REGULAM
LAVATERAM, Nobilissimi JOH. CASP.
LAVATERI Ducentumviri, bis Oeconomi
Vitodurani filiam, Virginem & nobilitate
generis, & sua modestia insignem, atque
omnibus sui sexus ornamentis decoratissimam,
cum qua liberis orbis pie & jucunde ad vi-
tæ usque exitum vixerat.

Posteaquam per annos fere octo in Coetu
Petrino munere suo religiosissime esset fun-
ctus, factum est ut ab Amplissimo Senatu
Cathedralis Ecclesiæ Archi-Diaconus alter
crearetur, simulque Venerabili Canonicorum
adscriberetur Ordini. In hoc quoque officio,
Historiam docendi onere levatus, fidelem se
Christi servum præstitit, nihil intermittens
curarum, ut Ecclesiæ Dei prodesset. Uni-
ca ejus gloria erat testimonium conscientiæ
sue, quod cum simplicitate & sinceritate
Dei, non cum sapientia carnali, sed cum
gratia Dei versetur in mundo, potissimum
autem inter suos.

At quæ sortis humanæ est varietas, mox ad
aliam stationem evocatur MULLERUS no-
ster. Postquam enim Venerabilis Theolo-
gus JOH. HENR. ZELLERUS his terris ex-
cessisset, nemo Scholæ Proceribus, qui ad

docendam Theologiam adhiberetur, visus est magis dignus MULLERO. Quinto itaque ante Cal. Maji anni MDCLXXII votorum omnium conspiratione Theologiæ Professor fuit creatus. In hoc constitutus loco, quod ei sanctissimum semper est visum, nihil prius aut antiquius habuit, quam ut omnem muneris sui partem quoad posset expleret, neque vel publice vel privatim ullum diligentia genus in se pateretur desiderari. Complures tunc temporis elaboravit Dissertationes, quarum infra subjicietur recensio. In ea statione ad finem usque vitæ permansit, atque ita Ecclesiæ & Academiæ ad extremum spiritum præstitit officium. Incidit ejus obitus in d. 29. Decembris anni MDCLXXXIV, quum annos vixisset quinquaginta quinque, & qui excurrunt menses fere septem. Quantum vulnus præmatura ejus morte res accepit Literaria, imo Ecclesia, quantum sui apud bonos omnes reliquerit desiderium, facile comprehendent qui norunt, tum demum nostra nos intelligere bona, quum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

Plura ingenii, eruditionis omnigenæ, & pietatis eximiæ reliquit monumenta, quarum brevem subtexere lubet indiculum. Cum Groningæ Musis litaret, sub præsidio *Maresii* duas defendit dissertationes, unam ad tertium præceptum inter 513. præcepta legis, alteram de Catechismo gratiæ adversus *Valent. Raudourium*. Ibidem defendit *Jac. Altingii* tertiam de nominibus Linguae Hebrææ dissertationem, quam decade ἐπιπέλωσιν haud proletariam eruditionem prodentium auxit. Sub præsidio item *Widmarii* disquisitionem de contro-

troverſis inter Anabaptiſtas & Reformatos, cum laude tuitus eſt. Denique *Pafore* præſide diſſertationem a ſe compoſitam, de nomine Jeſu & Jeſuitarum & de Æthiopica Pſalmi CXVIII. 21. translatione, felici cum ſucceſſu Academicæ diſceptationi ſubmiſit. Cum *Hottingeri* in Theologica Profeſſione vicarius erat, ſex elaboravit & publice defendit diſſertationes. 1. de feſtis Chriſtiano- rum a. 1658. 2. de Hiſtoriæ definitione a. 1659. 3. de donatione Constantini M. anno eodem. 4. De Scripturæ Sacræ Scriptoribus in genere, & Chriſto primario ejus auctore in ſpecie, anno eodem. 5. de eodem argu- mento alteram, quæ de Scriptis Matthæi ſpeciatiim tractat, a. 1660. 6. de Evangelica Magorum hiſtoria, anno eodem. Theologiæ creatus Profeſſor, anno ſtatim 1672. diſſertationem de nativitatſ Chriſti Feſto publicæ ſubjecit *αυζήσεις*. Secutæ ſunt ſe- quentibus annis diſſertationes novendecim, de vindiciis locorum V. Teſtamenti contro- verſorum, inſigni eruditione referatæ. Clau- dunt agmen diſſertationes quinque, de ado- ratione Pontificis Romani, quæ haud vulgariſ ejus ini Hiſtoria Eccleſiaſtica perit æ teſtes ſunt. Nec prætereunda eſt a *Georg. Kuenzlingo* Vitodurano adornata, & ſub ejus præſidio ventilata diſſertatio, de arbore vitæ & arbo- re ſcientiæ boni & mali, a. 1676. edita.

Præter has vero diſſertationes luci quoque expoſuit, Concionum ſacrarum volumina tria. 1) Decadem Concionum miſcellanearum *Baſileæ* a. 1661. impreſſam 2) *Geiſtliche Buß- Uhr und ernſtlicher Buß- Wecker*. Zürich. 1665. 3) *Tubam Joelis, Straf- Buß- und Gnaden- Bo- ſam*

saun Joels in 78. Predigten über das zweyte Capitel seiner Weissagung, samt einer historischen Beschreibung der Pfarr-Kirchen zu St. Peter. *ibid.* 1666.

Plura quoque Hæredes asservant Incomparabilis Viri Manuscripta. Præter Conciones in Genesin, Threnos, Epistolam ad Romanos, Psalmos aliquot, Catecheticas & miscellaneas alias, Adversaria item Academica, & Diarium itineris, recenseri hic merentur, 1) Janua Antiquitatis Ecclesiasticæ, in 4to. 2) Historia Christi & Apostolorum, eadem forma. 3) Collationes sacræ aliquot Librorum V. & N. Testamenti, cum versionibus Chaldaica, Syriaca, Persica, Æthiopica, Hebræo-Germanica, Græca & Latina, forma eadem. 4) Observationes Philologicæ ad locum Deut. 6. vers. 4. 5) Oratio de Auditoribus Concionis Apostolicæ in prima N. Testamenti Pentecoste habitæ, a. 1655. recitata. 6) Oratio de Historiæ Ecclesiasticæ & Linguae Sanctæ usu & necessitate in Theologia, anno eodem. 7) Oratio de Theologiæ per divisiones suas nominibus, a. 1656. cum Theologiam Catechetica docere cœpisset habita. 8) Oratio de Eucharistica Proto-Martyrum Tigurinorum doctrina, a. 1670. recitata. 9) Oratio Inauguralis ad Professionem Theologiæ, de Theologia Scripturaria. 10) Oratio de idololatrica Pontificis Romani adoratione, a. 1680. habita. Accedit ea quam nunc in lucem emittimus, de erroribus historicis circa passionem Christi. Si qui forte sint qui alia Eximii Viri inedita scripta in suis asservant scriniis, ea ut ab interitu vindicare velint optamus. Sunt denique in Hæredum manibus Epistolarum a Viris Clarissimis, *Altingio, Benthemio, Maresio, Trommio, Buxtorfio, Gernlero, Zuinggero, Wetstenio*, & aliis, ad ipsum exaratarum volumina tria, perpetua existimationis, quam apud exteros eruditione sua consecutus est, monumenta.